





ORATIO
CASPARIS CRVCIGERI
HABITA IN PROM C^m
CIONE MAGIS-
TRORVM.
ANNO.
M. D. XXXI.

DEPLORATIO CAPTAE
ROMAE.

DECLAMATIO DE
VESTITV.

VITE BERGAE.
M. D. XXXI.



Pg. 80 299

Sächsische
Landesbibliothek
31. AUG. 1992
Dresden

G





V M EX HOC LOCO
saepè dictum sit de uniuersa
philosophia deq; harum arti-
um omnium dignitate, quæ in
scholis ideo traduntur, quia
ad bene beateq; uiuendum in-
dicantur esse necessariæ, Ego

pro ingenij mei mediocritate
omissis illis preconijs superiorum disciplinarum,
quas arbitror propter manifestam utilitatem com-
mendatissimas esse omnibus, pauca quædam dicere
institui de hoc genere disciplinarum, quod nos pro-
fitemur, & quo prima ætas ad percipiendas maio-
res artes præparatur. Quanq; enim & harum utili-
tates quotidie uobis in scholis decantant præceptores,
tamen hic aliquid de ea re diændum est, ut publico
mori seruiamus.

Et quid a me publico nomine habetur oratio,
tantum ei tribuetis autoritatis, Adolfsæntes, quan-
tum existimatis esse in hoc collegio uirorum optimo-
rum & doctissimorum, præceptorum uestrorum, qui
mibi hanc personam imposuerunt. Nam horum
omnium sententia mea uocæ aduos perfertur, qui
cum uobis optime consultum uelint, non desinunt
uos hoc in loco adhortari ad hæc studia colenda,

A ij

quæ

quæ tum uobis priuatim honesta atq; utilia , tum
reipub. retinendæ necessaria esse iudicant. Siquis
autem huius ordinis autoritatem aspernatur, & iu= -
dicia contemnit hominum , non solum peritorum, Sed
etiam toti reipublicæ optime cupientium, in hoc iu= -
re desideranda erit humanitas .

¹ Duxi autem uos adhortandos esse , ne studia
inferiorum artium negligatis quæ & si ad populum
parum habent ostentationis , tamen ad cognoscendas
superiores artes, quæ continet administrationē reip.
uiam sternunt . Itaq; ctiam de ordine discendi pauca
addemus , qui in omnibus rebus ualet plurimum ut
suauissime dixit Xenophon, οὐδὲν δύτωε οὐτε δύ= -
χρησομ οὐτε καλόμ αὐθεώποισ , ὡς ἡ Ταξίσ .

Et ut inde sumam inicium, societatem quan= 1
dam artium inter se esse scitis, Quare etiam si quæ= -
dam in uita excellere atq; eminere uidentur tamen
aliarum ope indigent . Quare imprudenter fa= -
ciunt, qui dum ambitione aut spe quæstus incitati pro= -
pabant ad illas superiores , quarum fructus uersan= -
tur ob oculos etiam imperitis , reliquas disciplinas
negligunt & conterunt , quasi ad uitam inutilcs .

Ac mihi cogitanti interdum uidetur huius so= -
cietatis quedam in ipsis elementis literarum simili= -
tudo esse , ubi et si dignitat præstant uocales , tamen
sine

sine consonantibus sermo nequit existere. Et quoniam, ex literis omnes artes procreantur, uestigia quædam in ipsis clementis animaduerterc possumus, ut in seminibus, artium dissimilitudinis. Longe ante cœlunt omnibus uocales, quæ per se uitam & spiritum habent, quia perfectum sonum edunt, non adiutæ ab alijs. Reliquæ quasi tibiæ ab his inflatæ sonum accipiunt.

Significant igitur uocales principem omnium artium, doctrinam religionis, quæ longe supra alias artes collocata, gubernat omnia uitæ consilia negocia & studia. Nec uero ciuilis disciplina sine religione retincri potest, Et iuris scientia plurimum a doctrina religionis mutuatur, Ideo sicut semiuocales & si habent obscuram quædam uocem, tamen suum munus tueri non possunt sine uocalibus, Ita in disciplina politica religio ciuibus institutis uocem addit, tuctur autoritate sua ius humanum & emendat cum opus est.

Mutæ literæ quasi priuatam uitam significant, quæ uere muta est, hoc est agrestis & fera sine religione & ciiali consuetudine. Ut igitur sermo ex dissimilibus literis contexitur, Ita diuersa genera artium atq; actionum inuita necessaria sunt.

Quanquam autem iamdudum uere or ut uiri docti in hoc confessu has ineptias æquo animo ferant, tamen quoniam habetur oratio ad iuuentutem,

Sperō eos boni consulturos esse hunc ludum , in quo
et societatem et gradus artium pingere uoluimus ,
Et uisum est in ipsis elementis literarum pingere ,
ut quoniam haec quotidie ob oculis uersantur , saepe
ueniant ista in mentem scholasticis , quorum cogita-
cione nobis quidem uidetur acui et formari iudiciū
de utilitate artium , Et ego in hac schola professor
grammaticus libenter sum p̄ si orationem ex hoc ar-
tificio , quod exerceo .

Cogitate autem , Adolescentes , quid futurum
sit , si quis consonantibus omissis , tantum uocalibus
uti uelit in loquendo , Is profecto cum tota rerum
natura pugnabit , Ideo enim literae uocantur Elementa ,
quod sicut in natura , necessaria sunt clementia ,
ex quibus corpora constant , Ita literae necessarie
sunt ad sermonem componendum . Quare sicut illa
diuina series in uniuersitate rerum perturbaretur ,
exempto uno elemento , Ita abiectis consonantibus
nulla articulata uox existere posset . Itaq;
sicut dissimilium literarum naturalis inter se societas
est , Ita dissimiles artes inter se copulatæ atq; de-
iunctæ sunt , At hunc chorū artium pertur-
bant isti , qui sc̄ntiu*r* inferiores disciplinas ad ui-
tam inutiles esse , quia earum fructus imperitis non
ita in conspectu est ,

Si quis admirator cœli ac stellarum (Quid
enim

enim his corporibus pulchrius cogitari potest?) uelis
aquam ex rerum natura tolli quod impar sit stellarū
claritati, nonne hunc insanire diceremus? Si quis
propter admirationem doctrinæ religionis, iubeat
cuita tollere omnia iura atq; instituta ciuitatū, om-
nia uincula domesticæ uitæ, Nonne hunc omnes sani
homines ui atq; armis cohertendū esse iudicarent?

Et uidimus his annis quosdam & vociōwē
θεολογōwīs dementatos huiusmodi fanaticis opi-
nionibus, erroris sui pœnas dare. Meministis
enim Monetarium & Anabaptistas & hoc genus
alia portenta. Ad hunc modum iudicate insanire
eos, qui chorum & concentum artium perturbant,
neglectis & contemptis inferioribus artibus. Qua-
re sicut de literarum clementis cogitantes, totum
αλφα ιχηλα necessarium esse ad sermonem di-
cit, ita disciplinas omnes que in scholis tradun-
tur existimabis ad uitam esse necessarias.

Nam is demum recte sentiet de artibus, qui
cum gradus eorum animaduerterit, intelliget singu-
las certæ utilitatis caussa repertas esse.

Hæc dixi ad commō nefaciendos adolescētes,
quorum multos uidemus magno non tantum suo sed
reip. incommodo intempestiue properare ad supe-
riores disciplinas. Nam studia uestra non tantum
ad nos, Sed ad rem p. pertinent,

A. iij

Et

Et hunc finem studiorum uestrorum uobis proponere debebatis, ut ea ad dandum consilium Reip. & ad docendas Ecclesias & retinendam doctrinam religionis conferenda esse statucretis, quo rum nihil præstare poteritis sine perfecta doctrina. At perfecta doctrina nulli continget sine disciplinis inferioribus.

Cum hac cogitatione animus conformatus est, proxima de ordine discendi deliberatio esse debet. Neq; ego hoc loco dicam quanta sit uis ordinis in genere quæ res & nota est, & latius patet quam ut hic explicari possit. Si agricola prius serere uelit, postea arare, aut si uelit sub canicula sementem facere, sub bruma arare, labor atq; impensa perierit. Ita si in percipiendis disciplinis non seruetur iustus ordo, profectus omnis desperandus erit.

Bonum malum fit, aiunt non datum in tempore, Proinde etiam optimarum & maximarum rerum studia nocent, si non apto tempore suscipiantur, Quare maiores nostri ut ordinem discendi constituerent, certos gradus quasi classes excogitauerunt, per quos ordine ab inferioribus artibus traduceretur iuuentus ad superiores. Nunc quasi perfractis illis repagulis nullo ordine res geritur, Subito sicut jungi nascuntur nobis Theologi, Iurisconsulti & Medici, sine grammatica sine dialectica, sine ratione

ne

ne dicendi, sine incunabulis philosophiae naturalis ac moralis, Quorum cognitio, non solum quia per liberalis est olim tradebatur communiter omnibus, priusquam admitterentur ad superiores disciplinas, Sed etiam quia iudicium acuit, & preparat ad res maiores percipiendas. Modo autem satis est afferre ad illas disciplinas grauiissimas, magnum pileum & insignem contemptum omnis doctrinæ humioris.

Hanc temeritatem nisi leges ac magistratus coheræbunt, brevi nullæ erunt in rep. literæ, nulla doctrina ullius rei. Nam isti Theologi, iurisconsulti ac Medici subito nascentes, nulla prædicti liberali doctrina, non solum alias artes interire sinent, sed nec suas professiones tueri poterunt, Nec nihil pertinet hæc cura conseruandarū literarū ad magistratus. Ideo enim appellantur Dij a Spiritu Sancto, ut diuina dona in terris, religionem, ciuilem statum & omnes honestas artes tueantur ac retineant. Propter hanc procurationem diuinorum rerum gerunt augustum titulum, quo nullum habet magistratus ornementum maius aut uenerabilius.

Quare conuenit eos prospicere, ne perturbatio discendi ordine, honestæ disciplinæ intercidant. Plato inquit Respub. mutari si contingat musicam mutari, Neq; id abs redictum est, Sed hoc multo

A p

uerius

uerius est , mutatione studiorum mutari respub.
Omnes autem mutationes rerum pub. ad magistra-
tum curam pertinent. Et peruersa ratio discendi,
maximarum atq; optimarum rerum ruinam trahit,
In primis igitur in hac re uigilantes esse magistratus
oportet , Neq; dubito quim olim de his rebus nouas
leges condituri sint cū præsentes turbæ atq; motus
rerum pub. consilesænt . Quibus utinam contingat
Dei beneficio, facilis et mollis καὶ τασθοφή

Interim tamen quantum nos autoritate , studio
ac diligentia consequi possumus dabimus operam ,
ut ordine disat Iuuentus.

Sed hoc magna ex parte in uobis quoq; posi-
tum est. Nos enim & diligenter hac de re adhorta-
murus , & lectiones optimas in omnibus discipli-
nis proponimus. Summa fide traduntur artes , quæ
continent rationem dicendi , Elementa philosophiae
& mathematum planissime proponuntur . In qua
Schola secundus liber Plini tam perspicue enarratus
est ut hic enarratur . Reliquum igitur est , ne uo-
bis ipsi deesse uelitis , sed præsentibus commodis
fruamini .

Quod quidem ut faciatis adducere uos de-
bet , cum ipsa cognitionis suauitas , tum etiam utili-
tas . Nam incredibilem uoluptatem parit clo-
quentia , Mire delectat homines historia rerum ges-
tarum

tarum, quæ ex ipsa traditur, cum dicendi exempla proponuntur. Et nihil dulcius est quam intueri animo eas res, quæ in philosophia nobis traduntur, de magnitudine cœlestium corporum ac terre, de uarijs motibus siderum, quomodo lumina cœlestia uarie mixta inter se ac temperata, diuersos effectus pariunt in hac inferiori natura, sicut aliter atq; aliter mixtæ uoces diuersas cantiones efficiunt. Iuuat etiam uidere caussas officiorum ciuilium in natura diuinitus scriptas, et mirabili prudentia & doctis hominibus animaduersas.

Iam utilitas maxime percipitur ex his studijs, sunt enim ut græci dicunt τέχναι in superioribus artibus, quæ ærte dicendi scientiam requirunt. Quid enim promouerit aliquis, si sermonis genus non queat iudiare? Et multa ubiq; sumuntur ex philosophia naturali ac morali, Quorum qui non uident fontes, turpiter interdum hallucinantur.

Et quoniam Reipub. interest bonas artes conseruare omnes sciatis hoc a uobis rempub. petere, ut detis operam ne uestra negligentia artes intercidant, Cum autem maiora beneficia omnes a repub. quam a priuatis ullis, siue parentibus, siue amicis accipiamus, æquum est nos uicissim hanc illi gratiam reddere, et nostro labore artes retinere ac defendere.

Quare

Quare uos adhortor Adolescentes, ut ita in-
ducatis animum, prius uobis cognoscenda esse ele-
menta philosophiae, quam ad superiores disciplinas
acceditis, & in ea diligenter colloactis studium atq;
operam.

ἀρχή inquiunt ἡμεῖς σὺ τὸν Διμidiū
facti, qui bene cœpit, habet. Faciliora igitur om-
nia crunt istis in alijs disciplinis, qui recte aperunt
qui ad alias afferunt earum artium scientiam, sine
quibus illæ neq; percipi, neq; tractari neq; intelligi
possunt.

Et hanc orationem existimare me publica au-
toritate habuisse, quam si quis contemnit, is sciat De-
um ultorem huius contumeliæ fore. Ac Resp. orna-
uit etiam priuilegijs hæc nostra studia & honoribus
quos nunc his iuuenibus libenter decernemus,

Quia singularem laudem hoc tempo-
re in tanta peruersitate iudicio-
rum merentur isti, qui hæc
communia philo-
phiæ studia at-
tigerunt.

ORATIO

ORATIO

CVIVSDAM STVDIOSI DE
CAPTA ET DIREP-
TA VRBE RO-
MA ANNO.
1527.



TU SI INTELLIGEbam eos qui hoc loco pro more schole fictas fabulas agunt, multo minus oneris sustinere, quā qui ueras causas tractandas suscipiunt tamen me, non fiducia inge-
nij, quod sentio quam sit exiguum, Sed magnitudo doloris perpulit ut hunc in locum non fictum argu-
mentum ex ueteri aliqua tragœdia, Sed historiam adferrem nimis quam ueram. Sum enim dicturus de crudelissima urbis Romæ direptione, & deplo ratus indignissimū casum ciuitatis omnium, reginæ atq; dominæ, Etenim cum nemo tam ferus sit, tam = q; prorsus ab hominis sensu alius qui non aær bissime ferat indignam patriæ quæ genuit, quæq; educauit fortunam, quo tandem animo nos accipere urbis Romæ interitum atq; excidium deæt, cum ea

ea urbs una in terris fuerit omnium gentium communis patria. Ego profecto non minus illius calamitate commoueor, quamcius ipsius oppidi, quod me primum nascentem excepit, aduersis rebus perturbarer. Cum igitur esset hoc in loco mihi promore dicendum, non potui, cum esset animus dolore occupatus, alia de re orationem, instituere. Vbi dolet, inquiunt, ibi manum habet. Quare cum assiduo uersarctur ob oculos eius urbis directio atq; incendiam quae nobis leges, quae religiones, quae omnes honestas disciplinas tradidit, deniq; a qua plura beneficia, quam ab ipsa patria, in qua quisq; genitus est omnes accepimus, coegerit me magnitudo doloris, de fortuna urbis, deq; misserrimis temporibus queri. Præsertim in hoc cætu, apud homines doctissimos, qui intelligunt quantum huic urbi, ex qua literæ, et humanitas hic importata est, omnes gentes debeant. Quod autem de capta Troia uirgilius præfatur, Quis cladem illius noctis, quis funera fando explicet. Aut possit lachrimis æquare labores, ego multo iustius usurpem Nulla est enim tanta eloquentia quæ atrocitatem huius rei pro merito exponere possit, quæcum explicare queat, quantam ruinam omnium optimarum rerum, huius unius urbis eversio secum trahat. Quidullo seculo accidit indignus

nius, quam quod ille ipse exercitus quia Cæsare
in Italia, ad salutem omnium bonorum ad custodi-
endam urbem, imperij arcem, collocatus erat, illi
ipsi urbi nefariam vim, contra optimi principis
Caroli uoluntatem, contra disciplinæ militaris le-
ges, contra auspicia, contra maiorum exempla,
intulit. Est enim librandus culpa Cæsar, qui eti-
am si iustis de caussis Romano Pontifici irascitur,
tamen hoc exitu uictoriæ minime delectatur. Neq;
enim obscurum est, cum natura ad clementiam mo-
derationemq; duci ex a crudelitate abhorre. Et
cum maiores suos nomen ac titulum imperij in
in hanc nationem a seruata urbe Roma intulisse
uideat, dubitari non debet, quin in illorum intuens
exempla, intelligat omnes imperij opes ac uires ad
huius urbis salutem defensionemq; maxime conuer-
tendas esse, Et ab illa vim atq; uastitatem depellen-
dam. Quam multos numerare potest, cum imagi-
nes auitas a pexerit, qui turbulentissimis tem-
pestatibus urbem Romanam maximis terroribus libe-
rauerint, qui quanquam periculosisssimis bellis do-
mi impliciti, tamen uelut ad patriam defendendam
huc summa uirtute accurrerint. Quia in huius
unius urbis periculo periclitari omnium gentium
salutem existimabant. Huc adde, quod nullius re-
giæ familiæ, si quis omnes numeret, plura clemen-
ter

ter aut pie facta reænseri possunt, quam Austriacæ.
Et maiorum suorum adeo non dissimilis est Carolus,
ut quantum omnes imperij magnitudine antecedit,
tantum etiam uincat clementia. Quod enim in ulla
historia factum clementius legitur, quam quod ini-
micissimum regem, a quo bellum contra ius genti-
um motum erat, captum in acie, non modo dimisit
incolumem, sed etiam deuinctum affinitate in reg-
num restituit. Tantam clementiam ac bonitatem
nulla humana uox pro dignitate prædicare atq; or-
nare potest.

Longe igitur fallitur si quis in tale ingeni-
um tantam iracundiam cadere existimat, ut ulla
quamuis magnas iniurias hoc modo ulcisci uoluisse
uidatur. Ille uero priuatum dolorem, uel urbi
ipsi a qua imperij nomen habet uel tot sanctissimis
aris uel aliarum gentium, quæ suas respublicas
sine huius urbis consilio tenere non possunt, utilita-
ti condonasset, quamuis iratus, si licuisset ei præ-
senti, rem subitam minimeq; expectatam regere
ac gubernare. Quare Cæsar nullo modo
in hac oratione accusandus est, qui exercitum in
Italia ad custodiam tranquillitatis publicæ habuit,
non ad latrocinium exerçendum, non ad euerendā ur-
bem imperij aræm non ad prophananda templo,
non

non ad diripiendas bibliothcas, non ad trucidandos
sacerdotes, non ad uirgines et honestas matronas
rapicndas. Hæc cum omnia tegi suis armis, suoq;
exercitu imperator uellet, exercitus, ut saepe alias
accidit, contra disciplinam militarem, contra fidem
imperatoris datum, auaricia, ad diripiendam urbem
opulentissimam, quam sine præsidio esse animaduer-
terat, incitatus omnia diuina atq; humana iura uiol-
lavit.

Hos latrones optimo iure accuso, qui
iniussu imperatoris sine legitimis ducibus, urbem
Romam inuaserunt.

Finge iustum cauسام
fuisse Romæ inuadendæ, tamen seditio est, sine legi-
timo imperio impetum in quenq; facere. Quid
autem tam contrarium militiæ est, quam seditio,
quia hanc unam ob cauسام, iure gentium bella
geruntur, ut cohercæantur hi qui per feditionem,
sine magistratum autoritate, arma capiunt, Non
igitur milites uocandi sunt qui iniussu imperatoris
urbem expugnauerunt, sed quoniam ius gentium
commune uiolauerunt hostes non modo imperij, sed
uniuersæ societatis hominum. Romani aliquot im-
peratores alij in filios, alij in principes ciues capi-
taliter animaduerterunt, quia iniussu imperatorum,
cum legitimis hostibus prouocati pugnassent, fuitq;
tanta disciplinæ seueritas ut hostium loco haberentur,
qui preter imperatoris edictum, gladium

B

strinx

strinxissent . Quanto iustius hostium loco duen-
di sunt isti Cares, qui inauditam crudelitatem inius-
su imperatoris aduersus inermes exercuerunt? At
quam tandem ob caussam saevitum est in urbem?
Quia pecuniam non numeravit auaro atq; crudeli
exercitui. Quid aliud caussæ latro dicat cur via-
torem occiderit? Olim Gallos propcmodum
iusta ira pertraxit ad urbem. Nam legatus Roma-
nus contra ius gentium in acie pugnauerat. Iсти lat-
rones nihil caussantur aliud, quam pecuniam non
esse datam, quam flagitarunt. Non igitur tentata
urbs est, quia Pontifex esset alieno animo erga Cæ-
sarem, quia Gallis & Venetis esset æquior. Nihil
in gratam Carolis suscepimus est. Avaricia & amplis
simæ prædæ spes, perpulerunt, ut transgressi
Apenninum, maximis itineribus summa celeritate
confectis, ad urbem properarint. Nec dierum ali-
quot in media, nec hostis a tergo, & ab lateribus re-
moratus est iter. Sic accenderat omnium animos
prædæ cupiditas. Hæc si iusta caussa oppugna-
tionis uideri potest non intelligo, cur nō omnes latro-
nes excuset prædæ cupiditas. Si hæc iusta bellan-
di caussa in terris est, nihil obstat iam, quo minus in
urbibus unusquisque inuadat in ædes locupletio-
rum, si quidem ex præda ius existimandum crit.
Sed non disputabo subtiliter de caussa nec pa-
trocinabor

trocinabor Pontifici . in quem culpa confertur .
Nulla ne igitur in uictoria moderatione utendum fu-
it ? Nullum ne discrimen sacrarum ac prophana-
rum rerum habendum ? Quis tam crudelis unquam
uictor fuit etiam apud Ethnicos , qui non abstine-
ret uim a templis . Augustinus scribit Gotthos , cum
cœpissent urbem non modo a Christianorum templis
uim abstinuisse , sed etiam his donasse uitam qui co-
profugerant . Tanta nominis Christiani reverentia
apud barbaros illos fuit , qui doctrinæ cœlestis ig-
nari , nomē tantum Christianorum audierant . At isti
sacrilegi quas aras , quod sacerdotalium , reliquerunt in-
tactum ? Et accipimus non tantum omnia fana spo-
liata esse , monumenta sanctorum uirorum pre-
ciosiora , et thesauros ad publicam utilitatem totius
Italiae ibi conditos , direptos esse . Sed etiam cœde et
alijs scelcribus prophanata esse . De cantatæ sunt per
ludibrium sacræ cartiones . Ita nulla non contume-
lia affecta est religio christiana . Quid Turcae ali-
ud faciunt expugnatis Christianorum urbibus ?
O ueram uox poetæ qui dixit . Nulla fides ,
pietasq; uiris qui castra sequuntur . Quæ uox si
unquam alias , nunc maxime usi pari potest . Nun-
quam enim antea captis urbibus perinde polluta
sunt ac prophanata omnia sacra . Nunquam ante in
Germanico milite notata est auaricia , nunquam sacra

Vum de diuinorum rerum similis contemptus fuit .
Sed cum alijs in rebus continentior cæterarum na-
tionum militibus haçtenus fuit tum singulari religio-
ne uim a sacris rebus abstinuit . Nunc autem
o dij immortales quam dissimilis hic exercitus , mai-
orum nostrorum fuit : quam longe degenerauit a uer-
terum modestia . Maiores nostri nihil præter uicto-
riæ laudem cupiebant domum reportare . Itaq;
nec priuatorum fortunas diripiebant , tantum abest
ut attigerint res sacras . Nec procul exempla con-
tinente requirenda sunt , Quis toto Veneto bello a
Maximiliani exercitu unum oppidum audiuit di-
reptum esse ? Nemo profecto . Et Maximilianus
ipse cum esset in punicndis delictis lenissimus , tamen
in uindicanda auaritia militum , acerrimus fuit . Ete-
niam cum in eo bello capta Vincentia , quidam iniussu
suo in aliquot ciuium ædes prædandi caussa impe-
tum fecissent , statim totam illam cohortem oppres-
sit , et plures ducentis securi percuti iussit , ut eo
exemplo ostenderet , non omnia uictoribus in uictos
lierc.

Habes Careje Cæsar auitum exemplum .
quid de exercitu iudare te oporteat , Qui auaricia
corruptus omnia diuina atq; humana iura uiolauit .
Et haud scio an nostraris hominibus contagio
Hispano-

Hispanorum. hos ut uerboru[m] nouae discipline magis-
tros habent. Ab his tanquam lanistis auariciam,
cruelitatemq[ue] discunt.

Non minus autem sacrilegium est bibliothe-
cas, quam Phana diripere. Non enim inter sacras
res aut diuinias reænsenda sunt, aurea uasa quibus
in ceremonijs nostris utimur, & non reænsendi
sunt libri, qui cælestia oracula, qui doctrinam reli-
gionis, alias honestas artes diuinitus ostensas generi
humano, continent. Neq[ue] uero usquam bibliothecæ
& locupletiores sunt ullæ, quam fuerunt Romæ.
Huc omnis generis scriptores ex toto orbe ter-
rarum, magna cura bonorum pontificum, conuic-
ti sunt. Huc nuper adeo, quicquid reliquum fuit li-
terariæ supelleætilis in tota Græcia, importatum est.
Hæc monumenta cum æternæ esse debuerint, tamen
furore militum aliqua ex parte corrupta dicuntur.
Et haud scio an impia flamma per urbem uagata
bibliotecas etiam attigerit. O iacturam nullo unq[ue]
seculo reparabilem. Quot religionis nostræ inter-
pretes, qui præterea nusquam extant, quot aliarum
optimarum artium autores missos arbitremur.
Quis non uehementer dolcat tot seculorum labores,
tot noctium uigilias a doctis hominibus ad utilitatem
posicritatis lucubratas, in hanc fortunam incidisse

Statuas.

Statuas aut picturas elegantes magnorum virorum
magno cum dolore amittimus, quas uel propter artis
bonitatem, uel propter memoriam eorum quos re-
præsentabant, si fieri posset, æternas esse optamus.

Quanto magis dolere debemus tot ingeniorum

interitum: Quæ non modo propter scriptorum pul-
chritudinem miramur, Sed etiam propter utilitatem
amamus. Neq; n. rectineri res publicæ sine honesta-
rum artium cognitione, & sine libris possunt.

Cum igitur arma geri debeant, ad tegendas omnes
pacis artes, uidete quantum scelus isti latrones ad-
miserint. Qui quæ armis, defendi imprimis opor-
tuit, ea noua & inaudita amentia dissiparunt, atq;
cuerterunt.

Hæc cum in urbibus bello captis,
non aliter atq; templæ, sacra symbola, aras, boni im-
peratores semper conseruari iussiſſerint, Isti odio cre-
do religionis Christianæ, non ueriti ſunt impijs ma-
nibus lacerare ac perdere. Non eſt autem ob-
ſcurum, quantum detrimenti accepit res publica
bibliothecis illis dissipatis, quæ in ecclesiasticis diſſen-
ſionibus, tanquam oraculum confuli solebant: ex
quibus publici legum libri, præterea omnium bona-
rum artium, emendabantur. Neq; uero stu-
dia literarum ſine literis ac libris emendatis florere
poſſunt

possunt: Quæ si extincta fuerint, quæ barbaries,
quæ religionum confusio, quæ ciuitatum perturba-
tio, apud omnes gentes secutura est? Non igitur
ad unam urbem hæc calamitas pertinet, Sed ad om-
nes gentes, quæ retinere religiones ac studia bona-
rum artium sine Romanis Bibliothecis non possunt.
Neq; uero impune erit istis latronibus tot sælera
in unius expugnatione urbis perpetrasse. Videt hæc
deus inspector atq; arbiter omnium humanorum con-
siliorum atq; factorum. Hic ulcisatur contume-
liam templis, libris & similibus monumentis reli-
gionis illatam: non aliter atq; de rege Assyrio sup-
plicium sumpsit, qui sacra uasa Hierosolymis allata,
prophanauit. Neq; illa uox Baptistæ cuius-
dam, quem Romæ aiunt & antea ciuibus hanc cla-
dem, & postea uictoribus minatum esse, sine numi-
ne emissâ uidetur. Legistis n. ut opinor, di-
xisse Baptis tam illum, futurum, ut rapta undiq; spo-
lia brcui reuomant. Necq; .n. diu tolerare Deus
sui contemptum, superbiam in rebus secundis, cru-
delitatem in imbecilliores, potest. Non .n. possum
hic dicere, qualem carnificinam in tota urbe exerce-
rint. Nec libet commemo rare raptas a com-
plexu parentum uirgines, non abstractas a maritis
bonestas matronas, non mactatos senes ac sacerdo-
tes. Quanta.n. fuerit in urbe licentia au-

B iiiij dacissimo

dacissimorum hominum, inde æstimari potest,
quod duodecim diebus, nullos habuit exercitus,
militari more magistratus. In tot dierum ἀναργε-
τια, tranquilla, alioqui ciuitas, nihil non mali ab
urbana multitudine pertulisset. Quanto atro-
ciora necesse fuit accidere, ab armatis & uicto-
ribus. Est. n. uerissimum illud, quod apud Euripidem Rex quispiam dicit, nullo non incendio se-
uiorem ἀναργετια exercitus esse. Nusquam
audiuimus aut legimus in ulla ciuitate capta, tantam
licentiam exercitus uictoris fuisse, ut tot diebus
nullis magistratibus regeretur aut cohereretur.

Accepimus et ante Romanam captam esse: primū
a Gallis, dcinde post multa secula a Gottis. Uer-
um multo grauius hoc tempore afflita uidetur.
Galli n. tantum in desertas ædes seuierunt. Ciues
partim in capitolium se reæperant, partim Veios
profugerant, intenti in occasionem rei bene geren-
dæ. Non aræm urbs, non imperium, non magistra-
tus, non sacra, non cætera ornamenta amisit. Postea
Gotthos quāquam ex longinqua obsidione irati uehc
mentius essent, legimus ita moderatos esse in uictoria
iram, ut edictū etiam propositum fuerit, ut parceret
tur his qui in templo Christianorum confugisse, et
ut urbs sine cæde diripetur Atqui hoc tēpore tantum
absuit ut a sacrī rebus abstinerint uictores, ut non
cupidius

cupidius aliunde predati sint. Cædes factæ totâ urbe
miserorū ciuium: Bona ciuitatis pars in ændio deleta
Studia omnium honestarum rerum quæ ibi florue= =
runt, armis conterrita, obmutucrunt. Abolita sunt
et hæc, quæ si mansissent, instaurare collapsam ur= =
bem potuissent, ueteres magistratus, leges, forma iu= =
diorum.

Iustius igitur hic dics qui fuit pridie nonas
Maij, Eo .n. proximo anno urbs capta est, inter
atros quam Alliensis numcretur. Ac uereor futu= =
rum ut ad posteros hic dies multo ucrius Allicensis
uideatur illi urbi fuisse, quam ullus alius: Neq; .n.
facile se ex tanta calamitate urbs recreabit. Ac ui= =
de quantum distet ab exemplis ueterum Germano= =
rum, huius exercitus facinus. Carolus primus depul= =
sis ab urbe Longobardis, a uastitate urbem atq; Itali= =
am prohibuit. Otho primus liberauit eam Beren= =
garij Tyrannide. Et ut multa omittam, fortissimus
ac sapientissimus Princæps, Auus Carole tuus Maxi= =
milianus, quanto consilio Gallum ducentem maximū ac
fortissimū exercitū ad urbem, irritatum atq; ac an= =
sum odio Iulij Pōtificis, inde usq; a Rauenna, ubi max= =
ima pugna exercitū Pontificiū uixerat atq; fugae= =
rat, ad ultimā Galliæ oram, in Belgicū retraxit nequa= =
clade urbs ab irato uictore afficeretur. Nūc autē o te= =
p̄erū labem, ille ipse exercitus, quē Cæsar uniuersæ

*Italiæ præsidio esse uoluit, in auditam crudelitatem,
in urbe principe totius Italiæ, Imo totius orbis exer-
cuit.*

*Non exempla ueterum Germanorum, non
dignitas urbis, non ingentia beneficia collata in om-
nies gentes, flexerunt eos ad misericordiam.*

*Quis non dolcat usq; adeo deformatam esse eam
urbem, quæ olim, rerum ut inquit Virgilius, pul-
cherrima, Princps imperij omnium gentium fuit,
quæ una exēpla plura uirtutum protulit, quā omnes
ubiq; aliæ ciuitates, quæ nobis leges quæ literas, quæ
religiones, quæ humanitatem, quæ omnes honestas
disciplinas, quæ deniq; omnem bene uiuendi rationē
nobis tradidit, ut hanc urbem, semper tanquam com-
munem patriam omniū gentium homines coluerint.
Nonne tot urbis meritis etiam si quid peccasset pon-
tifex, condonari debuit. Nunc pontificis pec-
catum furiosus exercitus parricidio uindicat, dum
sæleratas manus ei urbi iniicit, quæ nobis omnibus
pro patria esse debet. Longe .n. plura beneficia
ab ea unusquisq; nostrum accipit, quam ab eo lo-
co, qui nascentem, primum exæpit. Ad hanc
urbem omnes contraversiæ omnium gentium de-
latæ sunt. Hæc tanquam in excubijs semper fuit
ad retinendam religionem, Hoc semper in ter-
ris doctissimorum hominum domicilium fuit. Hæc
fugie-*

fugientes omnes honestas artes ex Græcia exulan-
tes exæpit. Hic nuper omnes bonæ discipli-
næ tanquam renatæ sunt. Hinc in omnes ter-
ras propagatæ sunt, non aliter atq; scimimæ fru-
gum in totum terrarum orbem, a Triptolemo spar-
sa sunt. O ingratos hominæs qui si hæc benefi-
cia intelligunt, nullam putant se sic mercenti ciui-
tati gratiam debere. O amantes, si non intel-
ligunt.

Non nulli odiose colligunt urbis uicia & in
commoda quæ inde ad alias gentes peruererunt.
Sed est astuti hominis quod dolet meminisse, quod
placet obliuisci. Hoc erat humanius, commodæ
agnoscere, & tam multis benefactis incommoda
condonare. Quæ, qualiacunq; sunt, talibus
ærte remedij corrigi non poterunt. Nemo dubi-
tet parricidij esse rcum, qui patri letiiter delyranti
oculos effodiat, aut præcidat manus, Quid igitur
hoc aliud est quā parricidium, tam atroces pœnas de
patria propter nescio quæ errata sumere. Itaq; mi-
seret me non modo fortunæ urbis, sed etiam alia-
rum gentium, Magnam.n.ruinam bonarum rerum
apud omnes nationes, hic urbis casus, ut ucreor, tra-
het, Nisi resperexerit nos Deus pro sua summa boni-
tate, & horum malorum, quæ impendunt remedia
estenderit.

ostenderet. Vos quoq; existimo, cum interitum nobis
lissimæ urbis, dolere, tum impendentium malorum
metu, perturbari Etenim cū coli patriæ honoribus ab
ōnibus debuerit, tamena nobis maxime, qui lingi a
ciuitatis utimur, quiq; plura, quā uulgas, beneficia ab
illa accepimus, id fieri debet Ius nobis cū uulgo cōmuni
ne est. Studia optimarum artium, nō sunt communia,
quæ longe antecellunt alijs omnibus humamis rebus.
Vos igitur uere Quirites quoties tam funestam lu-
etuosamq; patriæ disruptionem recordamini, expen-
dite quæ a uobis officia tali tempore requirantur. Bonæ
uulgi pars, videt Sardonii risum in aliena calamitate,
et triumphat, quasi rebene gesta. A quorum opi-
niōne longissime uos abesse, conuenit. Necq; n.
intelligunt, quid illi urbi debuerint, aut quid detri-
menti ex eius interitu respub. accepit. Deinde
cum in hoc misero urbis casu uidentur etiam studia
literarum in quoddam discrimin uenisse, uos
quod bonos ciues deat, magis in hæc
studia incubite, quæ si conser-
uauerimus, non desperan-
dum est, quin urbs ipsa
rursum in pristinum
statum et di-
gnitatem
restitui possit.

Oratio

ORATIO

CONTRA AFFECTA=

TIONEM NOVITA=

TIS IN VESTI=

TV.



AMET SI NON DV-
bium est mihi auditores can-
didissimi, quin ualde uobis
mirum uideatur, quod hanc
Cathedram doctissimorum
hominum consændere, tan-
tamq; prouinciam, ac onus

fuscipere ausus sum, tamen, cum scholæ nostraræ mo-
rem sciatis, non dubito quin quæ uestra hactenus er-
ga omnes, qui in hunc locum dicturi prodierunt fuit
humanitas, ac benevolentia, me quoq; benigne, pla-
cideq; audituri sitis. Ego uero non de bello troiano,
aut huiusmodi pernulgata fabula dicturus prodij,
Sed cum nulla uirtus perinde adolescētes deceat,
atq; modestia, cœpi consilium de quadam eius uir-
tutis parte diændi, Idq; argumentum co suscepili-
bentius, ut si non hic propter eloquentiam laudem
mererer tamen mihi interea cancerem, Sicut ille Ci-
tharedu dixit, meq; ad eius uirtutis studium ex-
citarem.

citarem, institui autem orationem contra affectationem nouitatis, & aliarum inceptiarum in ustitu, quod uicum cum sit opinione noæncius, tamen adeo uulgare est, adeo cœpit iuuentutis animos, ut nullis neq; legib. eorum qui respu. gubernant, nec doctorum sermonib. corrigi possit. Quocies n. his nostris temporibus de hac re leges scriptæ sunt, Quam multi graues uiri quotidie hac de re queruntur? Sed tanta mali uis est, ut reprimi, aut sanari non possit. Quotidie nouæ formæ excogitantur, nunc placet Gallicus pilenus nunc Hispanicus cucullus, Alij Sarmaticis brachis delectantur, & hæc ipsa quam uarie deformant. Integram uestis parum digna uiro esse creditur, sed laxata, & mille uariata coloribus, qualem olim scurvarum fuisse uestitum picturæ ueteres ostendunt. Ea demum plurimum habet admirationis, atq; hæc singuli quotidie mutant. Nullus proteus tam uarias induit figuræ quam nostri iuuenes, subinde habitum mutantes, non aliter atq; in sœna hi qui plures personas sustinent. Quanquam igitur hoc uicum usq; adeo reæptum sit, ut non adolescentis oratione in qua nihil esse autoritatis potest, non aliqua mendocri eloquentia tolli possit, tamen libuit in arguento honesto ingenij uires experiri. Quæso autem uos ut pro uestro more benigne me pacienterq;

~~rrā; de honestissima caussa dicentem audiatis. Id si
nulla alia res, tamen ætas mea a uobis impetrare de
bebat, quæ propter imbecillitatem non poterit suscep-
tum onus perferre nisi singulari fauore uestro ad-
nimum mcum confirmaueritis.~~

Est autem cum per se turpisima nouita-
tis in uestitu affectatio, tum hoc etiam nomine ma-
gis fugienda, quia multis ex se alias pestes gignit,
et pleraq; animi uicia prodit, atq; alit. Nec procul
nobis argumēta sententiæ nostræ pœtēda sunt Etenim
cum nuper hic de conseruandis ueterib. morib. qui-
dam ex nostro sodalicio grauissime dixerit, spero
me facilius hanc caussam de usitato uestitu retinendu-
do uobis probaturum esse. Etenim ut in alijs pu-
blicis institutis odiosa est nouitatis affectatio, ita
etiam in uestitu merito improbari debet.

SEMPER autem sapientissimi homines sense-
runt ueteres mores, ueteraq; instituta ciuitatum ac
populorum summa cura conseruari debere, quod nul-
la res perinde ledat publicam tranquillitatem, atq;
crebra legum morumq; mutatio non aliter atq; cor-
poris humani ualeitudinem racione iactus sepe mutan-
ta labefactare solet. Eius mali ut uetera omittamus,
nostra ætas miserabile exemplum uidit. Postquam
ii. paucitantum ritus ecclesiastici, qui iam nescio
quomodo

quomodo degenerasse diabantur, abrogati sunt,
incredibilis omnis diuini atq; humani iuris, contem-
ptus secutus est. Et non modo disciplina in ciuita-
tib, regendis & magistratum autoritas pericitari
coepit, Sed religiones uniuersas, fidem, iusiuran-
dum, & omnia uincula societatis humanæ laxata
esse uulgas existimat. Inde cum quotidie maximi
motus in ciuitatibus existunt, tum uidistis ante bien-
nium luctuosum inter ciues nostros bellū in uniuer-
sa Germania exarsisse. Nullum igitur uenenum
noæntius esse reipub. existimemus, quam reæpto-
rum morum mutationem, quæ in uulgo licentiam
audaciam, contemptum imperij, dcniq; nihil non
carū pestiū quæ ciuitatibus exicio esse solent, parit.
Merito igitur ælebratur uersiculus ille, Moribus an-
tiquis res stat Romana uirisq;. Ad hæc cum ue-
teres dijs proximos esse credamus non dubium est
uetustissimos mores optimos esse, quos illi scilicet
maiores nostri ciuitatum conditores a dijs ipsis di-
dicisse uidentur. Proinde ferendi non sunt qui ho-
nesta maiorum instituta fastidiunt, qui ueterem dis-
ciplinam soluunt, qui nunc hos, nunc illos mores in
patriam accersunt, qui scribunt abolentq; leges ut
libitum est. Et constat olim in rebus pub. cla-
rissimos ciues acerrime uetera instituta defendisse.
Nam ut alia maiora omittam, Romæ quocies sum-
ptuariæ

ptuariæ leges perlatæ sunt, ut maiorum more uesti=ret riuitas. Cato quanta contentione legem Oppiam tuctur apud Liuum, que modum sumptib. mulierum præscribebat. Augustus cum uideret Ro=manos perigrino uestitu delectari, sciens quan=tum in ea re mali inesset, longa oracione ciues ob=surgauit, et ad togæ usum reuocauit, illum etiam Virgiliū uerſiculum citans.

Romanos rerū dominos gentemq; togatam. Si nulla ratio esset alia improbandi hæc uestitus ui=cia, tamen erat honestum nobis exempla magnorum hominum sequi, a quib. dissentire quid aliud quam insania est. Et quod Cato, quod Augustus senserunt, probari omnib. bonis uiris existimemus, quorum iudicia nihil morari summa impudencia est.

SED dicat aliquis non magnopere, uel ad priuatos mores, uel ad Rempub. pertinere has in=ceptias uestitus, meq; atroci oracione exagitare rem non perinde uiciosam. Ego uero utinam dia=œndo magnitudinem rei æquare possem, tantum enim turpitudinis hac in re est, ut nulla medio cris eloquentia, ad eam explicandam satis sit. Ete=nim cum non minus uestis quam oratio animi cha=racter atq; imago sit, quid dubitemus illos qui tanto=pere monstrosa ueste delectantur, animos etiam mon-

C strofös

~~strosos habere, In~~ aedit aliquis pileo tectus Hispani-
co, eoq; uarie picto. Thorax deinde Gallicus est
cuius manicæ adco non respondent ad brachij mo-
dum, ut laxissimæ sint, qua parte brachiumgra-
cilius est. Et cum uestis naturam imitari debe-
at, istis plane diuersum placet. Quid amplius
plebeius uestitus est, nisi distinctus sit uarijs colo-
ribus uelut pauo, ad hæc consciuum esse oportet
tanquam mendici pallium, id demum regiū est. Ve-
nio ad pallium, palliorum ac tunicarum tam multæ,
tamque uariæ formæ sunt, ut totus hic dics ad re-
censendum non sit satis futurus, si singulas enume-
rare uelim. Atq; hic uenit in mentem mihi fabule
cuiusdam germanicæ. Audisse .n. uos de patribus
uestris opinor. REGEM Turcarum iussisse sibi
omnium gencium habitus pingi. Cum itaq; pictor
plurimarum gencium uestitum depinxisset, tan-
dem pingit nudum hominem et iuxta uarios pan-
nos, postea Artifex a regc iussus interpretari pi-
eturam, cum exposuisset cætera, dixit nudum illum
Germanum esse, cui æcta forma uestitus pingi non
possit, quia quotidie nouam excogitet. Doleo unam
hanc nationem, quæ grauitatis, atq; constantiae
laudem alioqui sibi uendiat, hac parte leuitatis in-
simulari posse. Cogit .n. res ipsa fateri apud nos in
credibilem uarietatem uestitus esse. Quid de cal-
œis d;

æis dicam, olim erant rostrati, nunc fiunt trian-
guli figura, cū deltoton. Quid aliud quam mon-
strum putandus est, qui in tam dissimili habitu, tam-
quæ uaric inædens sc̄e circunspectat, & tanquam
iunonis auis, admiratur, quem profecto, nisi ad-
mirationem consuetudo mali nobis excusset, mon-
strum aliquod transmarinum citius quam hominem
esse multi crederent. Sed si sapientissimis ho-
minib. imo si sacris literis creditis talem habi-
tum non obscuram quandam animi picturam esse
iudiare debetis. Scriptum est .n. in Ecclesiasti-
co. Amictus, risus & inæsus produnt hominis
ingenium, similis in animo in constantia, similis cu-
piditatum uarietas, qualem in uestitu æernis, deniq;
legum & morum patriæ fastidium simile in ani-
mo hæret. Quod si res nihil præterea turpitu-
dinis haberet, tamen hoc reprehendendum erat,
tantam esse ingratitudinem erga patriam quæ ge-
nuit, quæ educauit, quæ optimis legib. uitam de-
fendit, ut nihil nunc nisi peregrinum placeat. Quid
.n. unicuique carius iucundiusq; patria esse debet?
Nunc autem cum hæc nouitas mores etiam infa-
met, quis non existimet procul fugiendum esse.
Nonne apud Virgilium, cum molliciem obijcit
Troianis Turnus, aucte conjecturam facit ait
.n. Et tunicae manias & habent redimicula mitræ.

C ij Animad-

Animi id uerterunt. n. docti uiri sermonem, habitum,
incessum, & alios corporis motus tanquam actionem
esse animi in qua uelut in speculo cuiusq; na-
tura aeni potest. Quemadmodum .n. in equis,
& leonib. animorum motus, cauda atq; aures in-
diant, ita affectus hominum, non tantum sermo-
nes sed uestitus, qui quasi tacitus quidam animi sermo-
nes declarat. Itaq; non temere a Græcis in prouer-
bio dictum est illud, uestis uirum facit, ut. n. hone-
stus habitus dignitatem homini conciliat, et quan-
dam commendationem morum adfert, ita monstroso
uestis abhorrensque ab approbatione oculorum,
iudicioq; bonorum uirorum officit existimacioni.
Quid. n. aliud quam monstrosum mentem ista dissi-
militudo uestitus, partim Gallos, partim Hispanios.
partim sarmatas imitantis significat? Quæ con-
stancia potest existere in horum mentib. qui tocies
sui dissimiles facti prodecunt? Socrates calœis sicyo-
nijs contra suam consuetudinem uti noluit, tametsi
ipsius confessione apti erant pedibus. Nec ille
morosus in re parua uideri debet, pars quædam
grauitatis atque constantiæ fuit ne quidem in par-
uis rebus sui dissimilem esse. Proinde & Home-
rus inquit honestum habitum ad existimationem au-
gendarum conducere, nostis n. uersum. Nanq; ui-
ro uestis magnum datus addit honesta. Neque id
ad ue-

ad uestis precium pertinet, non .n. gemmæ, aut
aurum, aut purpura, quarum rerum usu in ciui-
tatib. bne constitutis etiam interdictum est ho-
nestis hominibus, magopere ornant uiros, sed quia
pro ingenij ac moribus uestitum fere quisq; sumit,
magnam commendacionem habet honestus habi-
tus, quod co boni uiri delectari iudicentur. Quis-
quis igitur honestam existimationem apud bonos
uiros colligere studet, is ad illorum iudicia, ut re-
liquæ uitæ instituendæ consilia, ita etiam uestitum
accommodet. Ut .n. nostris temporibus, princi-
pum familiæ ex forma uestitus discernuntur, ita ado-
lescentium mores, boni uiri ex habitu dijudicant.
Nullum autem patrimonium, nullas opes hæc ætas
pluris facere quam existimationem debet, Hanc
magna ex parte consequi poterit hac diligencia, si
sequatur illorum iudicia in uestitu. Si qui uero
ita depuduerunt, ut existimationis nullam ratio-
nem habeant, ut bonorum de se iudicianibil moren-
tur, hos non tam homines esse, quam humana spc-
cic belluinos animos gerere existimare debemus.
Nostra oracio ad sanabilia ingenia pertinet, alios
publicis poenis ad sanitatem reuocare, et cohære-
re oportuit. Haec tenus dixi uestitus inepcias qua-
dam animi esse corrupti notas. Sed ut nemo uo-
lens s̄yphata, quæ deprehensis in aliquo flagicio

C iiij in ur

inuri solent, quantumuis innōens sibi accēfit, ita
has notas turpitudinis uitandas esse, ne famæ no-
cēant, cēnseō. Sed hæ incēpiæ non tantum noxēnt
existimacioni, aliud maius malum secum trahunt,
nam inter corruptelas rerum publicarum merito ad-
fectacio, siue nouitatis, siue peregrinitatis in ue-
stitu numerari debet. Hac de re dum dico quæ-
so diligenter, attendite. Intelligetis .n. multa ingen-
cia uicia ab his principijs oriri, ut .n. usuræ per
gradus crescunt, ita a paruis principijs paulatim
audacia robur colligit, donec penitus ex animis
pudorem omnisque diuini atq; humani iuris metum
cijciat. Nemo inquit poeta repente fit turpissimus
per gradus labuntur mores in deterius Nec libet in
sc manifesta exempla colligere sed quoniam inter
adolescentes studiosos doctrinæ Christianæ dici-
mus, recitabo uobis unum quoddam exemplum,
quod in libris confessionum scripsit Augustinus
de matre. Hanc in puericia inquit mira diligencia
ad sobrietatem a nutrice adsuetam esse, neque
.n. licuit ei ne aquam quidem nisi in iusta cena, aut
iusto prandio bibere. Nutrix interrogata quo con-
silio puellis etiam aquæ potu interdiæret, Respon-
dit nisi ea ætate sitim perferrre discent, postea ma-
tronas factas cum uini copia sit simili intemperan-
cia uino scingurgitare, qua nunc aquam bibant.

Est

Est igitur prudencia non exigua, semina uicio-
rum prouidere, ac in tempore tollere. Ut n. in
morbis corporum medicandis serum est, tum de-
mum querere remedia, cum morbus ad summum
peruenit. Ita frustra adhibetur medicina uicijs
postquam adoleuerint. Quæ igitur uicia gignit
nouitas uestitus? Cum alia multa, tum hoc om-
nium perniciosissimum, quod adolescentium ani-
mos adsuefacit ad contemptum legum. Nam cum
in paruis rebus, primum a consuetudine bono-
rum, & a publicis institutis discesserint, paula-
tim ita confirmatur audacia, ut etiam in maio-
ribus rebus non modo bonorum uirorum iudicia,
sed omnes leges contemnant. Et is qui nunc ui-
detur ludere, dum has inepcias in uestitu amat,
paulo post omnibus legibus omnib. magistratibus au-
debit oppedere, Tantam ruinam edit res
quæ quidem in speciem parua uideri potest, ue-
rum exemplum latissime patet. Nam cum se-
mel legum repagula effregerint nihilo deinceps fir-
miores omnes leges, quam aranearum telas esse ex-
istimabunt. Et ut scitis & ρχκ ἡμισυ των γραφων οδ
quanquam in priuatis moribus uidere possumus
tamen in ciuitatu inclinatione clarius perspici potest
Quæ n. ciuitas non ita collapsa est, quia cū primū di-
sciplinā in paruis rebus neglexisset aluit petulanciā

C iiiij uulgi

uulgi adeo ut postea in maximis etiam rebus imperium detractarit. Præterea cum uestis imitetur animi affectus, ut supra dixi, fit ut illis ipsis cupiditatibus inclusis in animo, quas premi et cohæri oportebat, frenum laxetur. Sunt qui propter feritatem animi, habitu delectantur, qui terrorem intuentibus incuciat, In his quoniam sibi indulgent crescit feritas. Sunt qui propter molliciem animi ornent se propemodum mulierum more, quos effeminatores uestis reddit, ut n. febris alitur si quis ei morem gerat, & bibat, quidquid uiciata natura expetit, ita morbi animi crescunt si quis eis indulgeat, nec remedia opponat. Sed omnium maxime nocent in commune hi qui gentis alicuius externæ uestitum amant, ut n. amatores amasorum colorem imitantur, ita isti se eius gentis mores, luxum, aut alia uicia amare, & patrios ritus ac leges contemnere, hac uestitus imitatione significant. Qui principes primum Romanam aduixerunt diadema & plerasque peregrinas uestes? nonne illi qui ueterib. legibus deletis in urbem obsæna sacra exterorum, ut bachanalia, preterea exempla fœdissima peregrinæ luxuriæ adferebant. Videmus hoc tempore quosdam Turcico habitu delectari, non credo ob aliam caussam, nisi qua nostræ religionis, & legum nostrarum facetas eos cœpit, quos quo- ni am

niam exterua imperia expetere , mores religionesq; amare apparet , non dubito eos hostes patriæ appellare . Non .n. tantum illi , qui foris arma gerunt aduersus patriam , hostes putandi sunt , sed multo magis isti , qui disciplinam ciuilem , qui majorum instituta nihil ad se pertinere arbitrantur , alios mores foris accersunt , Laædemonij hospitem milesium cum alijs delicijs adfluentem , tum in uestitu sumptuosiorem quam pro spartana consuetudine , iusserunt ciuitate exædere ac domi Milesia exercere . Hæc illi in hospitem constituerunt quanto minus ciuib. permitti debebat , exempla bonis ac ueterib. moribus effectura , in patriam inuehere . Neque .n. abit hoc sine publicorum morum corrupcione , quia ut est uulgas natura φιλόκαivop statim has nugas imitatur , & legum metu paulatim deposito , amorem externalorum uiciorum induit . Estq; in maximarum ciuitatum interitu uidere , ab his principijs cætera uitia orta esse , iure igitur in autores talium exemplorum tanquam in hostes patriæ scuerissimæ poenæ constitui debebant . Tūc belum parari aduersus patriam , tunc ob sideri eam non foris , sed intra mœnia pœnitentis , cum patrius uestitus exuitur . Hos cum peregrinis clandestina fœdera fecisse & cum legibus in perniciem patriæ conspirare arbitremini , quos externalorum

C v atq;

atq; hostium mores magis quam patrij delectant .
Non . n. hic cultus alio spectat, nisi eo ut domestica ac publica disciplina corrupta trahat omnium ciuium animos ad externa imperia peregrinas religiones , et omnia turpitudinis genera recipienda. Sed cum hæc nouitas omnib. hominibus turpissima sit tum in primis abesse a Christianorū moribus debebat , quos in omnib. uitæ partibus præcipuam gravitatem præ se ferrc decet. At hoc accipimus, Turcas, et plerosq; barbaros, religiose patrum morem in uestitu retinere . Cum autem Christianæ literæ singularem nobis modestiam , ac ueracundiam , et morum constantiam præcipiant, turpe est hac parte leuiorcs nos perhiberi ijs gentibus , quæ Christiana præcepta ignorant. Videte quæso Dauidem quam diligenter putauerit in huiusmodi quanquam paruis rebus decorum seruandum esse . Is . n. cum legatis suæ gentis a uicimo quodam rege uestes per contumeliam decurtatae essent , ac barba contra morem rasa esset , iussit ut in extremo regni oppido se tenerent , nec prodirent in publicum, donec barba creuisset. Quid aliud sensisse sanctissimum regem creditis, quam ad officium boni uiri pertinere hanc quoq; diligenciam causacionemque , ne genere uestitus , aut similibus rebus , cuiusquam oculos offendat At hanc diligenciam

eiam maxime nos scholasticos præstare oportuit.
Sed o deum immortalem, quis ordo, quod genus
est hominum, qui has inepcias magis ament quam
scholastici? militaris plerosque habitus delectat,
quem non uno modo deformant, sed quantum
quisque potest, monstrorum facit. Ac tum demum
sibi fortes uiri, tum satrapæ, denique plane bea-
ti uidentur, cum maxime nouum habitum, ma-
ximeque abhorrente ab oculis bonorum uiro-
rum excogitarunt. Quasdam formas quia non
possum uerecunde nominare prætermitto. Esset
.n. optandum ut abderent ac tegerent diligencius
eas partes, quas natura ipsa abdidit, ne in prom= Non
ptu posite ambiciose se ostenderent. Non
neglexerunt hanc partem sapientissimi legum la= tores in grecis ciuitatibus.
tores in grecis ciuitatibus. Scribit, n. Xenophon in
institutis laædemoniorum licurgum præcepisse, ut
pueri in publico, manus intra uestes continerent ut
taciti inæderent, nec circumspectarent, nec deijœ= rent oculos ab his quæ ante pedes essent.
rent oculos ab his quæ ante pedes essent. Et qui= dem hæc magnarum uirtutum Tyrocinia quædam
dem hæc magnarum uirtutum Tyrocinia quædam
esse existimant. Ait, n. Xenophon ideo hæc institu= ta esse, ut ad uerecundiam, pudorim ac modeſtiā
ta esse, ut ad uerecundiam, pudorim ac modeſtiā
a prima statim puericia adsuefierent. Quāto magis
mos, qui in scholas missi sumus, ut non modo literas
perci-

perciperemus, sed ut ad omnia honesta officia institueremur. Hæc incunabula modestiæ, in uestitu atque inæssu seruare oportuit. Verum quid hoc monstri est, aliud oratio scholasticorum, disputancium de honestis officijs, aliud uestis loquitur, quæ summam impudenciam præsefcet. Plancq; miror quid illis in mentem ueniat, cum cogitant quantum a se ipsi dissentiant, quam non conueniat ad oracionem suam, ad studia, hic habitus. Si insæna prodiret cum habitu scurræ Agamemnon, nemo non uociferaretur illum Histriōnem decori oblitum esse, nescire sœnæ, quod aiunt, seruire. Tam morose iudicamus in ludis. Quid putatis graues uiros iudicare in scrijs rebus, quantum huic sœnæ nos seruire uelint, in quam, quia ludum hunc esse, non modo literarum, sed omnium uirtutum percipiendarum arbitrantur, ideo deducti sumus, ut hinc optima disciplina adsuefacti, bonos mores ad Rempub. afferaimus, Sed quales mores adferent illi ad Respub. qui tanquam in impudenciac ludo uersati essent, iudicia bonorum uirorum contemnere consueuerunt, qui pudorem et uerecundiam penitus ex animis eiecerunt, qui legum mea deposito, liære sibi quidquid libet existimant. Multa .n. ut dixi uicia alit illa inepciarum affectacio. Quam spem de se preberet bonis uiris potestis, qui in prima puericia legibus se

bus se cohæceri atq; gubernari non est passus. Sed
qui tanquam Tyrannidem tencret, suo arbitrio ue-
stire, suo more uiuere uoluit. Nemo profecto il-
lum in ulla uitæ parte moderatum, aut legum me-
tucentem fore credet. Et hac impudencia plerique
sunt qui ex scholis postea, non tantum ambiunt ad
ministrationem ciuitatum, Sed multo honestiorem
prouinciam doændæ religionis, ad quam adferre
singularem modestiam oportebat. Audiui in terra
S V E V I A Principem fuisse summa prudencia ac
pietate præditum E B E R A R D U M Barba-
tum sic .n. uocant, Ad hunc aiunt uenisse iuuensem
quendam potentem saerdocium, forte huic uentus
aperuit uestem ut uideret prinæps scissas militari
more caligas. Id nunc nemo tegere studet, tanta est
impudencia, in illo casus retexerat, Ibi prinæps ut
erat aærrimus exactor, custosq; disciplinæ morum
ita commotus est, ut quanquam loqui latine non so-
leret, tamen iræi hæc uerba expresserit, Vade
ira, Sic illum, quia ei succenseret e conspectu suo
abire iussit. Ac tantum abfuit, ut saerdocium con-
ferrret, ut etiam uehementer obiurgatum dimise-
rit, quod in principis conspectum uenire cum
scurræ habitu, quod ambire saerdotium ausus esset,
cum hac significatione impudencie, ac leuitatis, a
qua longissime abesse saerdothes deæt, O censuram
dignam

B. d. 1.
volum Eber-
hardi.

dignam laude, dignamque memoria uestra comitantes . Merito .n . tanti uiri , cui fama est in hoc toto Germaniae imperio summam sapientiae laudem tributam esse , commoucri iudicio debemus . Huic enim omnes populi , cum omnes ordines in concilijs populorum Germaniae de maximis rebus saepe ad sensi sint , ad sensiamur et nos hac parte , et statuamus id quod res est , nulli non ordini hominum has inepcias , sed maxime scholasticis indecoras esse , Neq; uero sic ille sensit , et non senciunt idem omnes boni uiri , omnium honestorum hominum hac de re calculi consentiunt , Quis .n. uestrum , qui modo liberaliter institutus est , qui nisi sit impudentissimus ausit in conspectum sui patris cum iniustitia ueste uenire , Quod cum ita sit , putate haec uicia in communii odio bonorum uirorum omnium esse . Quanquam autem merito pro legibus haberit debeat , quidquid omnes boni uiri senciunt , tamen si minus apud uos alienorum autoritas ualeat , ualeat apud unumquemq; sui patris autoritas , quam est pietas quædam maximam et grauissimam ducre . Quare si parentum animi ab his inepcijs in uestitu abhorrent , abhorrent autem haud dubie , uoluntatem illorum pro lege habeamus . Neq; n. existimare debemus has tantum leges esse , quæ sunt in

sunt in publicis liberis scriptæ. Hæc lex non in æs
incisa, non tabulis lapideis insculpta est, Sed in ani-
mis nostris scripta diuinitus, ut parentum iussa
non minoris faciamus, quam ulla prætorum edicta.
Et tamen extant etiam magistratum leges hac de-
re, extant et præter hominum doctorum præce-
pta, in sacris literis grauissimæ admoniciones, ut
ambulemus coram hominibus Εὐχαρόνως hoc est
ne quid inæssu sermone, gestu indecorum admit-
tamis. Et paulus iubet fugere iuueniles cupidi-
tates, significans ut docti homines interpretantur,
delicias illas in uestitu, aut in reliqua corporis a-
etione. Quid est autem, si non est insania neque
bonorum uirorum iudicijs, neque parentum neq;
legum, neque sacrarum literarum autoritate per-
moueri? Neq; leue peccatum sit oportet quod tan-
to consensu honesti homines uniuersi damnant, sed
uident illi quantam ruinam trahant hæc iniciæ,
cum in paruis rebus discessum est a maiorum in-
stitutis, perspiciuntque quæ disciplinæ perturbacio
sequatur. Hæc argumenta uos commoueant op-
timi cõmilitones ut longū ualcre dicatis illis in uesti-
tu inepcijs, semperq; ueniat in mentē illas nō minus
esse turpes notas quam stigmata quæ damnatis rerū
api-

capitalium inuruntur, uestis.n. uirum facit, quare
si sit indecora noæt existimacioni, non aliter atque
illæ ut uocant Thraciæ notæ. Porro talibus stigma=
tis delectari, ea uero inaudita amencia est. Ad hæc
dum his cupiditatib. ut uidentur leuioribus nimium
indulgetis, interea multa alia uicia- uires acci=
piunt, legum contemptus, audacia, adiunguntur
corrupta sodalicia, honesta studia omnia deserun=
tur, succedit ocium, id ad uoluptates inuitat, Atq;
harum rerum qui sit exitus, quæ κατασροφή sæ=
pe uidemus. Non igitur nihil periculi est, ut qui=
dam existimant, ignoscere sibi in his nugis, ut uo=
cant. Nīmis quam uerum est has nugas seria duære.
Vetus est uersiculus magna teneri non posse si par=
ua negligenter tueamur δη μὴ φυλάξσος μικρὸν πό^λ
λεῖτο τὰ μέχοντα. Idem hic fieri uidemus. Nam
qui parum firmi sunt aduersus has leuiores cupi=
ditates, hos citius opinione alia maxima mala, op=
priment. In primis autem nos qui Christo nomen de=
dimus, uerecundiam ac modestiam in omnib. uitæ
partibus colere decet, et quia ea uirtus Dco in pri=
mis placet, et ut bonis exemplis aliorum mores
meliores reddamus.

DIXI.

Nemo

ENCOMI-

VM FORMICARVM

SCRIPTVM AB

ERASMO EBNE

RO.



EMO IN HOC COETV
dixit unquam quantum
equidem iudicare possum,
cui perinde benevolencia
uestra, atq; mihi opus esset,
non modo quia hæc ætas me
a singulari fauore confir-
mada, & adiuuanda est,

Sed etiam quia argumentum adfero, quod etiam si
nouitate placere possit, tamen ita est exi: e, ut nullam
magnopere admiratione mereatur. Alij res gestas
clarissimorum imperatorum recitarunt, & tum ho-
neste facta summorum hominum, dicendo ornaue-
runt, tum aut populorum, aut tyrannorum turpi-
ter facta grauissime uituperauerunt. Ego quo-
niam deerat eloquentia par tantis caussis, infirmita-
te uirium humilius argumentum querere coactus
sum. Qua de re dum aliquot dies delibero, dum-
q; reputo quas res exiguae laudauerint ueteres
scriptores, a Luciano uideo musam, a Virgilio apes

D

mirifice

mirificæ ornatas esse . Cum igitur mihi honestum
esse putarem , ueterum exempla sequi , formicas
sumpsi laudandas . Neq; nullum operæ pretium
esse iudico in tanta naturæ uarietate hæc minuta ani
mancia contemplari . Etenim non modo ethnicæ
scriptores dignam hanc materiam in qua elabora
rent , putauerunt , Sed etiam principes christianæ
doctrinæ , mencione paruarum in natura rerum
delectari uidentur . Christus iubet nos passeris
intueri . Solomon præcipit non modo contemplari
formicas , sed etiam nos ad eas tanquam in ludum
discendi cauſſa mittit . Quid commemorem quam
multa animancia Basilius diligentissime descripſe
rit , & Basilium secutus Ambrosius eandem ani
mancium historiam in enarracione operum sex die
rum pene ad uerbum recenset , doctq; in illis pro
posita nobis esse a deo & tanquam picta plurima
rum uirtutum simulachra , quæ nos officij nostri
admonerent . Turpissimum est enim homini tam
longe a sua natura degenerare , ut a bestijs etiam
uirtute superetur . Non igitur inutile uideba
tur ingenia moresq; & totam quasi τωλιτδαρ
formicarum describere , quod inde plurima pul
cherrimarum uirtutum exempla , & uerc , quod
aiunt greci μυρμῆκα αγαθῶν , capere liceat .
Videt aut quantum mea me fcsellerit opinio .

Quo

Quod enim argumenti genus arbitrabatur propter
tenuitatem sine magno negocio exponi & perpo-
liri posse, id in experiundo cognoui longe secus
esse. Comperi enim non mediocris artificis esse.
honore uerborum res exiles ornare ac illustra-
re. Quamq; igitur senciebā me suscepto oneri impa-
rem forç, tamen quoniam non ad ingenij famam
sed exercandi style caussa suscepseram, desistere
nolui, sed peregi fabulam quam incepseram. Quæ
so igitur uos, ut pro humanitate uestra me benig-
ne audiatis, quod si nulla alia res, tamen scholæ con-
suetudo a uobis impetrare debet, & si suam laudē
honestus conatus meretur, non indigni fauore iu-
dicandi sumus honestissimo argumento suscepto,
ctiam si rci quam instituimus difficultate uicti su-
mus. SED ut philosophi in descriptione animan-
cium, primum de cuiusq; procreacione dispu-
tant, ita & nobis formicarum ortus, inde usq; ab
quo, ut aiunt repetendus erit. Verum historia for-
micarum longior iliade futura sit, si omnia
commemorare uelim, sed hoc ad earum laudem
magnopere pertinere existimauimus, quod cum
tam multa diuinitatis uestigia in eis extant, in-
telligi possit eas non sine certo dei consilio na-
tas esse multoq; uerius quam poeticos hero-
es genus a ioue summo duerc, ut poeta inquit

D ij Quo

Quomodo enim in hac terrena natura futuri pre =
scientia sine diuina ui existere potest? Non hanc
tantam haberet hic uermiculus industria longe
alienum a brutorum aptu, nulla gregarium noticia,
nulla mutua collocutio inter eas esset, nulla no[n] sent
temporum discrimina, nisi mentem deus indicaret
tantarum rerum tamq; uariarum capacem. Ete =
nim sapere, meminisse præterita, consequentiæ ær =
nere, futura præuidere, ne homines quidem, nisi
diuinitus commoti excitatiq; possunt. **Q**uis enim
quamvis ingeniosus, sine Dei ope, uarios mo =
tus stellarum magnitudinesq;, molem terræ, & ali
a multa deprehendisset. Multo minus igitur bestiæ
raciocinari, & futura uidere & animaduertere
præsencia, nisi Dei beneficio possunt. Neq;
enim hæc aliunde quam a Deo in terrenam naturā
propagantur. Habent igitur formicæ, non dubi
um generis sui autorem dcum, cuius rei id quo =
q; signum esse intelli^{gi} potest. Nam cum sacræ li =
tere mittant nos ad formicas, tanq; ad magistros,
profecto significant hoc consilio a deo fabrefactas,
& his ingenij dotibus instructas esse, ut docere
nos utilia possent, Ut enim nullus paterfamilias, si
sapiat, filium doænum tradit ei cuius non pro =
bat eruditionem, ita credibile est, nec diuinum spi =
ritum nos ad eiusmodi magistros mittere, qui non
doæant

doceant cœlestia. Necesse est igitur eas artes,
quas nobis istæ disændas proponunt diuinitus in
sensibus ac natura formicarum scriptas atq; sculp-
tas esse. Vereq; esse in eis, ut poeta ait,
Partem aliquā diuinæ mentis, et haustus æthercos.
DI^XI hactenius de formicarum ortu ac nobilitate,
quæ non paruam commendationem habet, Ad-
fert enim nobilitas non modo in hominibus, sed eti-
am in pecudibus quædam uirtutis semina, quæ a
parentum natura in posteros propagantur. Nun-
de ingenij ac moribus deq; omni uitæ consuetudi-
ne illarum diændum est. Atq; hæc pars oratio-
nis, quid aliud habet, quam honestissimam quan-
dam formam recte uiuendi. Nemo philosophorum
non trædidit bene uiuendi præcepta. Sed huius insec-
ti historia, quid sit reæum, quid turpe, quid utile,
quid non, quid deæat, melius Chrysippus & Cranto
re dicit. *Quis non hæc singularis prudentiae di-
ligenciæq; indefessæ opera esse diæat, colligendi
uictus tempora intelligunt.* præinde aæruum fru-
menti in messe comportant, condunt comparcum= 10
q; in hyemem. præudent enim hyeme in uacuis
agris frustra se pabulum quæsituros esse. Cnera
morsu gerunt, longe maiora, quam pro corpo-
ris porcione ferre posse credibile fit. Quæ-
dam grandiora protrudunt, tota corporis mole

D iij obnixæ

obnixæ, scimina priusquam condant, arrodunt, ne
rursus exeant in fruges e terra, madefacta imbre
proferunt atq; sicut. Nec noctu, plena luna, uacuæ
æ sunt. Vsq; adeo turpe ducunt feriari, ut nullum
sibi tempus idoneum labori perire finant. Interlu-
mio cæssant ab opere, siquæ in itinere ferendis gra-
nis grauatæ sunt, gregales norunt, & quoniā saepe
tanquam ex diuersis ciuitatibus in eadem via conue-
niunt, in unum aliquem locum omnes uniuersum
commeatum comportant, ibiq; sua signa recognos-
cunt, ibi uelut exercitum reæsentes, agmina se-
parant, & suum cuiq; auehendum tradunt. Obuiæ
inter se quasi colloquuntur, ac percontantur, donec
agnoscant singulæ suos ciues. Nulla tam sapientiæ
constituta ciuitas fuit unquam, quæ ad hanc for-
micarum politiam conferre possint. Nam cum
nullum urbibus uenenū noæntius sit, quam ocium,
uidetis hanc pestē procul ab hoc animalculo abesse
Nunquam ardentiissimi æstus a labore abstercent,
non noctu uacuæ sunt, quod tempus alijs animali-
bus natura ad quietem dedit. Non magnitudine
itinorum aut asperitate uiarum defatigari se paci-
untur. Sed saepe ex longinquò frumentum conue-
hendum est. Sæpe per confragosa saxa magna ui-
grana in aduersos montes protrudenda sunt. Ita

OMNES

omnes difficultates , non uirium magnitudo, non cor-
poris moles , sed animi robur , et industria supe-
rat, ut adpareat hic etiam uerum esse id quod
est apud historicum quendam, nihil tam altum a na-
tura constitutum esse , quo non possit uirtus eniti .
Non dubium est autem , quum ut omnia ex ocio ui-
cia nascuntur, ita labor plerasq; pulcherrimas uirtu-
tes gig nat. Proinde nec cæteræ uirtutes desunt huic
generi. **Q**uis enim non uidet singularem iusti-
ciæ intellectum in eis esse, quia ærtos dies consti-
tuunt recognoscendis oneribus, ut cuiq; agmini su-
um tenere sinc iniuria licet . Facile est enim ab
alieno abstinere his quibus in sua uirtute industris
aq; spes posita est. sed illi qui cum per luxum at
q; libidines sua effuderunt, postea rationem ine-
unt quomodo de alieno helluentur. Hinc in ciui-
tatibus nouæ tabulæ flagitatæ , bella ciuilia , et
innumerabilia alia mala , quæ ciuium discordia
parit , nata sunt. **V**I Dautem de parsimonia
formicarum dicam , que in hoc genere maxime
ærnitur . Non enim tantum in præsens sibi con-
sulunt sed comparcunt , et prospiciunt sibi in fu-
turum , quæ uirtus cum per se magna sit , et
admirabilis tamen hoc etiam gravior esse de-
bet omnibus , quod iusticiæ ueluti custos est .

D iiiij

nc^{ij}

Neq; enim tolerare infinitos illos sumptus sine ali-
eno decoctores possunt, sed longe dignissima bono-
ciue uirtus est, in commune querere, & communia
bona summa diligentia augere. Quae res enim alia
omnibus ciuitatibus exicio est, quam quod priuata
bona, publicis utilitatibus pleriq; omnes antiferunt
Atqui ita sentire nos oportuit, quoniam patriæ salu-
te, nostra salus continetur, & quoniam ipsi a patria
in qua nati, educati, ad humanitatem, & religionem
instituti sumus, cuius legibus uitam nostram ac for-
tunæ defendimus, tam multa beneficia accæpimus,
æquum esse, ut nos etiam illius utilitates pro virili
iuueni, imo quidquid aramus, quidquid serimus
quidquid metimus, ad patriæ utilitatem referendū
esse existimemus. Deniq; illius salutē, ac tranquillita-
tem antiquiorcm dignitate, ac salutē nostra, duca-
mus. Hanc uirtutem liet in formicis ærnere
ad communem usum, adsidas operas conferenti-
bus. Videntis quam multarum uirtutum exem-
pla nobis formicæ proponant, ad quam imaginem
si maximam hominum partim contuleris, quotus
quisq; erit his uirtutibus præditus. Bona pars
uoluptatibus, atq; uocio dediti nulla de re in omni
uita sunt solliciti quam de conuiuio adparando, aut
alijs similibus uoluptatibus comparandis. SENECA
scribit Pacuvium quendam fratorem in syria fu-
isse,

isse qui quotidie splendide conuiuatus , cum se co=
pioso uino de die ingurgitasset, solitus sit vesperi fu=
nus sibi adparare . acærsere tibicines qui func=br=modos canerent , & hoc genus alia curare
ad funeris speciem repræsentandam . A cæna cum
iam sustinere se ebrius non posset, iubebat se lec=
tulo impositum , tanquam funus inserriri in cubi=culum , & cantari funebres modos . Beelwæxi
Eeclwæxi , iudicabat enim cum denum diem , præ=clare sc uixisse quo ita casset conuiuatus , nec duæbat
esse uitam adpellandam , cum non licet eiusmodi
uoluptatibus perfrui . Quis non statuat plus esse
mentis formicæ , quam huic Pacuvio , qui uitam ho=mini
hanc unam ad rem , ad pecudum uoluptatis
perfruendas , datam esse credidit . Et quamuis ex
mplum Pacuuij in funere faciendo non multi imi=tentur , dogma tamen hoc præclarum maxima
pars hominum profitetur , qui nihil in omni uita , dig= num homine suscipiunt ac gerunt , sed in ocio , &
inter pocula temulenti ætatem exigunt . Sed quoni=am sanorum hominum iudicio , uentres isti non ho=mines , sed uerius monstra hominum sunt desino
formicas cum his conferre , quos non modo for=micarum exempla , sed ne quidem publicæ leges
ad sanitatem reuocare possunt . Nulla autem inter
omnes laudes formicarum amplior esse mihi uide=

D v tur

tur, quam ea quæ apud solomonē est. Is enim inquit
formicas non modo stultos sed sapientes anteire pru-
dencia. Neq; ego, nisi tam grauem autorem haberē,
auderem hoc paradoxum inter doctissimos homi-
nes dicere. Sed quia formicarum laudes colligere
institui, non fuit hæc prætereunda præsertim cum
esset amplissima. Quid audio? omnibus philo-
phorum scholis, omnibus rerum publicarum guber-
natoribus, deniq; omnibus sapientibus uiris formi-
cæ præferuntur. Hoc plane est iuxta proverbiū for-
mica camelus. Et cū non possim hoc loco omnes cau-
fas cur ita scripscerit solomō, recitare. Sūt cnum mul-
tæ quas ex ipsius christianæ doctrinæ fontibus
longe repetere oporteret, tamen unam hanc comme-
morandam esse duxi. Tanta desidia est humani ani-
mi, ita penitus heret in nostris medullis uoluptatum
atq; ocij amor, ut nulla tanta sapientia sit, quæ
non uoluptatum illeæbris uinci & expugnari possit
ut industriam laborem q; remittat. Quod cum
etiam poctæ animaduertissent, finixerunt hercu-
lem tot domitorcm monstrorum, Omphalcs amo-
re captum, muliebri ueste, in gynecio tenentem
colum. Atq; ho illi de summo uiro fingeabant,
ut signifiarent nullam tantam esse uitam animi, quæ
nō frangi ac debilitari blandicijs uoluptatis posset.
Comparauero mihi formicas ad hūc Herculē aut si
manis

mauis ad Alexandrum, harum industriam sedulita-
temq; nulla res unquā retardat . Illi sciliæt heroes
summa sapientia ac fortitudine prædicti, quā immu-
tati sunt , alter amore mulierculæ , alter etiam ma-
gis belluinis uoluptatibus . H V C igitur sacræ
literæ sapientes ctiam uiros accersunt , & in hanc
academiam uocant ut discant , non modo similem in
laboribus constantiam præstandam esse , sed etiā ut
uideant quanta sit infirmitas humanorum animo-
rum qui tam facile defatigari se paciantur , ut for-
micæ ctiam robore animi summis uiris præstent .
Et has idco intueri iubet , ut cum uiderint tan-
tam uim uilissimæ bestiolæ diuinitus datam esse , pe-
tant & ipfi expectentq; a deo similem constantiam
industriamq; . Sed de hoc toto loco alij rectius di-
œnt . Vos autem optimi comilitones , quoniam ita
iubent sacræ literæ , intuemini formicas & cum
aliarum uirtutum exempla ab eis petite , tum in pri-
mis earum sedulitatem exprimere contendite .
Etenim si uel nulla proposita essent nobis laboris
nostræ premia , tamen quoniam deus precipit ut la-
boremus , parere illius uoci debebamus . Nunc
autem cum etiam tanta præmia proposita sint , quæ
est amencia , tantarum rerum magnitudine non ex-
citari aut acui ad laborem . Nil sine magno , ui-
xi labore dedit mortalibus , inquit poeta . Proinde
noli

nolite putare sine magna animi contencione ulla uitæ præsidia cōparare uos aut retinere posse. Quæ de re cum omnes omnium doctorum uirorum libri pleni sint, & referti hoc genere exhortacionum, ego uobis, quoniam propter ætatem, uel ad monendos uos, uel ad cohortandos parum autoritatis habeo, recitabo uobis grauissimum locum, qui extat in Xenophonte, quemque se Xenophon ex Prodigi libro transscripsisse fatetur. Sunt autem contrariæ oraciones uirtutis & uoluptatis ad Herculem deliberantem, utram uitæ uiam ingrediatur uoluptatis ne an uirtutis studia sequatur, sic enim ait. CVM HERCVLES ex puericia egressus, iamq; prope pubertatem esset, qua ætate sui compotes facti adolescentes, significant utram uiam uirtutis, an ignauæ ingredi uelint. exiit in solum locum seditq; tacitus secum deliberans, utrā uiam imiret. Hic adparuerunt ci duæ mulierculæ maiores humana specie quarum altera uultu modesto, & liberali erat, nullo peregrino cultu aut suco ornata, sed genuina bonitas formæ adparebat, in corpore mundicies, in oculis pudor, in inæstu modestia, ueste præterea candidam gerens. Altera erat habicio, & fucata, nam & rubor, & candor maior erat nativo. Et incedebat supina, oculos late pandens, ueste induita quæ formam maxime

ime commendabat, contemplans interim se, et circumspectans an alij se uiderent, non nimirum etiam umbram suam respicens. Postquam autem propius uentum est, illa prior modeste pergebat. Hec autem ut anteuerteret accurit ad herculem ac inguit. Video te Hercules deliberare utram uiam ad uitam agendam ingrediaris. Quod si me tibi ad iunxeris, ducam te iucundissima et facillima via. Nulla res iucunda est, qua non pocieris, et modestiam nullam perpecieris. Neque enim aut bella, aut alia grauia negotia curabis, sed hoc unum cogitabis ac queres, ubi aut cibum aut potum suauis orcum inuenias, aut quod delendet oculos aut unde olfaciendo aut tangendo aliquam uoluptatem percipias, aut ubi amoribus perfruaris, aut quomodo molliissime cubes, et quomodo haec omnia sine aliquo labore consequaris. Et si quis inciderit metus egestatis, non est quod timeas me tibi aliquid laboris imposituram esse, efficiam enim ut fruaris his, que alieno labore parta, sunt in promptu. Nec ulla re abstinebis unde modo sparest te aliquam uoluptatem posse lucrifacere. Ego enim meis sodalibus potestatem scio ex omnibus rebus uoluptates deaerpere. Hec Hercules audiens, inguit, Mulier quod est tibi nomen? Tum illa, mei

sodā

Sodales uocant me. Felicitatem. Qui me aspernantur
uocant me Ignauiam . Interea accessit et altera mul-
ter . Dixitq; uenio et ego ad te adolescens , Non
autem tum generosos parentes tuos, et indolem edu-
cationemq; tuam . Haec mihi spem faciunt , fore ,
ut si me secutus fueris , magnas ac honestas res
geras, et me multo clariorem apud homines effi-
cias , Nec longa te præfacione quæ ad uoluptatem
fingi solet, morabor . Sed simpliciter id quod res
est uereturq; narrabo quod dij constituerunt , Nul-
la uera bona , sine labore curaq; mortalibus dij de-
dcrunt . Sed siue deos tibi uis esse proprios , placan-
disunt , siue ab alijs diligui , beneficijs adiungen-
di sunt . Siue honore adfici a ciuibus cupis , bene-
mereri te de patria oportet . Siue uis in admiraci-
one esse apud omnes græcos , benefactis id te con-
sequi oportet . Siue uis ut terra pariat tibi fruges ,
colenda est . Siue ex pecudibus ditescere uis , pasæn-
dæ sunt . Siue bello opes tuas augere uolcs , ut so-
cios in libertatem adseras , et inimicos in seruitu-
tem redigas , belli artes dispendæ sunt ab his qui
eas norunt , et exerendæ , ut quomodo eis utendum
sit scias . Si robu corporis uis confirmare , con-
suefaciendum est , ut rationi obediatur , et exeran-
dum magno labore ac sudore . Quod cum dix-
isset uirtus , interpellat eam Ignauia inquiens . Vides
hercule

Mercules, quam asperam & longam uiam ad fœlia
citatem hæc tibi mulier ostendat, quo ego tibi com-
pendiariam & planam uiam monstravi. Tum
uirtus. O misera, dic nunquid habeas boni, &
nunquid suauis unquam cognoueris, quæ nullum
laborem uis illorum consequendorum cauissa susci-
pere. Et ne quidem expectas naturale desideri-
um suauium rcrum, sed anteq; natura expectat cas-
imples atq; obruis te, edis, priusquam esuris, bi-
bis anteq; sitis, condimenta uaria ad irritandam
famem excogitas, uina præciosa, ut imuites sitim
comparas, in æstate niuem queris. . Et ut suaui-
ter dormias, non modo mollia strata, sed etiam
lectos facis, somnum enim accersis, non ut per
laboris interualla quiescas sed inopia negocij sine
pudore ac legum metu amori operam das, nocte
abuteris, & optimam dici partem somno perdis
Et cum deam te esse glorieris ex deorum numero
eiecta es, aspernantur te & honesti homines. Ne-
q; unquam suauissimum carmen, tuas laudes au-
diuisti. Et pulcherrimum spectaculum nunquam
uidisti, Nullum enim unquam recte factum tuum
spectasti. Quis tibi improba credet, quis egen-
ti dabit aliquid. Quis sanæ mentis in tuo choro
esse uelit. Vbi iuuenes, imbecilli corpore sunt.
Senes fatui, qui cum adolescenciam in ocio per-
diderint

didicunt, senectutem miseram & calamitosam d= gunt. Tunc & pudet anteacte uitæ, & piget pri= mum querere neæssaria ætati subsidia. Suauia= in adolescencia ante tempus præcepserunt, labo= rem & ærumnas in eam ætatem distulerunt, Ego= uero apud deos uersor, & apud honestos homi= nes. Nullum honestum facinus neq; dij neq; ho= mines sine me faciunt. Ideoq; me & dij & homi= nes honore adficiunt, grata sum opitulatrix ar= tificum. fida custos familiæ dominorum, beneuola= adiutrix seruorum, iucunda comes laborum in pa= ce, firma periculorum in bello auxiliatrix. Opti= ma amicicæ socia. Et mei amici suaves uolup= tates sine fastidio percipiunt ex cibo & potu, ex= pestant enim illorum naturale desiderium. Som= nus etiam suauior eis est, quam ociosis, quem eti= am cum opus est, sine molestia abrumptuut, nec propter hunc neæssaria intermittunt. Et iuuenes= senum laudibus gaudent. Et senes delectantur iu= uenum honoribus, & incredibili uoluptate rerum a= se gestarum meminerunt. Et sine difficultate= præsentes labores cōficiūt, per me dijs cari, amicis,= cari patriæ. Et cur ex hac uita discedendum est, non= obscuri aut ignoti iacent, sed laudes eorum perpe= tuo a posteris prædicantur. Hæc tibi o fili bo= norum parentum Hercules contingent, & ueram= fœlici=

fœlicitatem stabilemque; ita consequeris, si laborem
non defugies. Sic uirtus apud Xenophonem con-
cionatur, et ad labores suscipiendos, non tantum
Herculem, sed omnes adolescētes, uerissima graz
uiissimaque; uocē hortatur. Quia oportuit aures ue-
stras undique; circumsonare, et incrites animos tan-
uum classico exuscitari, Atque hanc ipsam uirtutis
orationem diuinitus in formicis scriptam pu-
tate, quas quoties uidebitis ueniat in mentem
hanc uobis imaginem, quæ uos ad laborem inci-
tet in terris a deo propositam esse. Et sicut
comediæ exhibentur ut in illis exemplis disca-
mus, quid in uita deceat. Ita deus in hac rerum na-
tura uaria spectacula fecit, quæ nos officij nostri
commonefacerent. Proinde cum formicæ conue-
hentes grana, condentesque; in commune spectabi-
tis, existimate hanc tanquam dei uocem esse, quæ
iubet ocium, nocentissimam pestem fugere, et susci-
perc honestos labores, quibus et nobis ea quæ in
omni uita necessaria sunt, comparemus, et societa-
tem communem hominum iuuemus. Quod si faci-
etis fauebit uestris illis laboribus deus, et omnem
uitæ cursum fortunabit. Contra eos qui capti a-
more ocij uoluptatumque; non uolent formicam audi-
re, atque imitari, ad quam a deo tanquam ad magistros
missi sunt, hi sciant se grauiissimas poenas contem-

E

ptæ

ptæ magistræ imo contempti celestis mandati datu
ros cſſe, odiſ. n. ocium deus, ideoq; non unum ca
lamitatis genus ex ocio naſcitur.

DIXI.

PHILIPPVS MELANCHTHON
SIMONI GRYNEO VIRO
(doctissi. & amico ueteri. S.D.)

CVM in omnibus artibus pro sit initio brevia
quædam elementa tradere ad præparandos
studiosos , ad interiorem doctrinam , maxima
profecto debetur gratia uiris optimis & crudis=
tissimis , qui harum pulcherrimarum disciplina=
rum uidelicet astronomiæ , & cosmographiæ Isag=
ogas nobis composuerunt , qui quidem non so=
lum propter ipsarum artium dignitatem sed magis
etiam propter rei difficultatem laudari merentur.
Magni enim negotijs fuit magnæ prudentiæ ex tan=
ta tamque multiplici rerum copia cligere ea quæ
maxime in aditu ac uestibulo profutura essent.
Hanc ob causam semper amavi mirificæ libellum
Iohannis de sacro Busto qui mihi uidetur elemen=
ta in hoc genere complexus aptissime , ac pluri=
mum uidisse in gymnasij homines doctissimos iu=
dico , qui magno consensu prætulerunt hunc libel=
lum alijs ciusdem generis , & extare in omnibus
scholis , & in omnium manibus versari uoluerunt.
Victurus genium debet habere liber , inquit Mar=

tialis . Sed talis genius non contingit operibus , quæ
nullam habent utilitatis cōmendationem . Cū autem
hic libellus tot sæculis in omnibus scholis in tanta

F ij uarietate

uarietate iudiciorum genios habuerit propicios, ne-
æsse est eum rebus optimis refertum esse. Videmus
.n. paucissima scripta uetusatem ferre, præsertim
in scholis ubi morosissime iudicari solet. At hic libel-
lus multis iam sæculis maxima cum approbatione
doctorum omnium legitur. Quare et nos curemus
eum per manus acceptum a maiorib. tradere poste-
ris, et tanquam opus publicum communib: studijs
conseruamus, ut in scholis aditum iuuenib. ad pul-
cherrimas artes, quarum elementa tradit, ostendat.
Nam si existimamus illarum artium cognitionem
utilem in uita esse, magnopere nobis haec monumen-
ta conseruanda sunt, quæ aditum ad eas patefaci-
unt. Quis est autem tam ferreus tam sine sensu ul-
lo, ut non aliquando suspiciens cœlum, et pulcher-
rima in eo lumina intuens, admiretur tam uarias u-
æs quæ motib. conficiuntur, nec cupiat quasi uesti-
gia illorum motuum. uidelicet certam rationem di-
uinitus ostensam cognoscere. Neq; .n. res tam ua-
riæ tamq; procul positæ aut inquisitæ essent aut
acie ingenij humani perspectæ, nisi deus studia quo-
rundam summorum uirorum et excitasset et pro-
uexisset. Itaq; cur ducat homines natura ad has
artes, prorsus humana mente carere iudicandi sunt,
qui pulchritudine illarum rerum, et cognitionis
suauitate nihil afficiuntur. Ac præclare Plato ait
astronomie causa oculos hominib. datos esse. Vole-
bat

bat. n. significare in omnib. corporibus nihil esse pulchrius, quam illa cælestia lumina et homines natura ad hanc pulchritudinem fruendam præcipue rapi, ac mihi quidem oculi ipsi cognitionem uel maximam cum siderib. habere uidentur. Ut. n. in mundo luæt sol, ita in homine, quem non nulli propter plurimas similitudines μικρού κοσμού uocauerunt, sua quædam lumina, uelut sydera condita sunt. Itaq; qui cognata illa lumina fastidiunt, non considerant naturæ opificium eamq; ob causam digni crat quibus eruerentur oculi, cum his ad hanc rem utiuti nolint, ad quam præcipue conditi sunt, præsertim cum illa cognitio admoncat etiam nos deo et de immortalitate nostra. Neq; enim fieri potest, quin statuat humanus animus mentem aliquam esse, quæ regat et gubernet omnia, si animaduerterit illos ratos cursus et leges magnorum orbium et stellarum. Nihil enim tale casu, aut alia ui ulla sine mente existere aut constare potest. Quare si Astronomia confirmat hanc deo opinionem in animis hominum, Plato non solum eruditus, sed etiam religiose dixisse iudicandus est, astronomiæ causa nobis oculos datos esse. Sunt. et aerite ob hanc causam præcipue dati, ut ad querendam aliquam dei noticiam duces essent. Proinde ex philosophis soli isti qui astronomiam aspernati sunt ex professo fuerunt atheoi, et sublata prouidentia, etiam im-

E iij mortalitatem

mortalitatem animorum nostrorum sustulerunt, qui
si attigissent hanc doctrinam manifesta dei uestigia
in natura deprehendissent, quibus animaduersis co-
acti essent fateri mente aliqua hanc rerum uniuersi-
tatem & conditam esse, & gubernari. Sed si quis
etiam auctoritatem requirit ex sacris literis quæ
hæc studia commendet, habet in Genesi testimoni-
um grauissimum, ubi scriptum est. Erunt in signa
tempora, & annos. Quomodo autem conficiet nobis
sol annos nisi obseruato curriculo descriptis spa-
cijs atque interuallis cursus ac temporum. Quare
cœlestis illa uox hortatur nos ad obseruandos cœ-
lestium corporum motus. Quid commemorem
utilitates publicas, qualis futura esset hominum ui-
ta, si non haberemus descriptam temporum ratio-
nem, si non haberemus in historia, aut rebus ge-
rändis annorum numerum. Plusquam barbaries,
imo belluarum uita fuerit nullam nosse antiquitatis
seriem, nullum temporum ordinem in præsentibus
negocijs constituere posse. In tanta infacia, neq;
religio ulla, neq; ciuilis status retineri posset. Cum
igitur & natura nos exuscitet, & hortentur diuina
oracula, quanquam ille etiam naturæ sensus, di-
uinus quidam afflatus, & quedam quasi dei uox
est, & magnitudo utilitatum inuitet ad hanc doctri-
nam, diligenter eam colere studiosi adolescētes de-
bent. Atque in hac re patriæ laudib etiam mo-
ueri

ueri eos conuenit quia hæc doctrina cum aliquot se-
culis sine honore iacuisset nuper in germania re-
floruit restituta a duobus summis uiris Purbachio
& Regiomontano, quorum alter ex Norico, al-
ter ex francis uicinis ortus est. Hos heroas singu-
lari quadam ui diuinitus ad has artes illustrandas
excitatos esse res testatur ipsa. Quando enim tantū
lumen habuerunt postquam hæc studia in ægypto
extincta sunt. Nam et si arabes desertam a græcis
possessionem magna ui inuaserunt adeo ut has artes
in occidentem, & hispaniam usq; propagauerint,
tamen corum scripta ostendunt curiosam natio-
nem non tam elaborasse in obseruandis motibus,
quam in diuinationib. quarum adeo cupidi fucrunt
ut non contenti Ptolemei Astrologia quæ pars
quædam physiæs existimari potest, sortes etiam
& alia multa prædictionum genera ανατριολο-
γικτæ commenti sint. At nostri illi contulerunt om-
ne studium ad præcipuam doctrinæ partem, obscu-
rißimas demonstrationes Ptolemei eruerunt, &
patefecerunt, & ut transmitteretur ars ad posteros
instruxerunt nos non unius generis commentarijs
Vcteres laudant Architæ columbam et uaria Archi-
medis opera, at longe admirabilius opus est breuis
ille libellus Theoricarum Purpachij qui summam
longissimi operis Ptolemei complexus positus orbi-
um subiicit oculis. Quid dicam de reliquis monu-

E iiiij mentis

mentis de *integra Epitome de tabulis in quibus us
absoluerent artem usum preceptorum ostenderunt.*
*Hactenus igitur huius doctrine laus penes nostros
homines fuit. Nam autores illi semina huius doctri-
ne sparserunt per germaniam, non aliter ac fru-
gum semina Triptolemus in græcia dissipasse scri-
bitur. Quare turpissimum nobis fuerit tam hone-
stam possessionem optimarum rerum amittre. Sed
sunt nonnulli Epicurei theologi, qui totum hoc do-
ctrinæ genus irrident nec solum prædictionibus si-
dem detrahunt, sed etiam uituperant motuum cogni-
tionem, quos finamus una cum Epicuro ineptire.
Sunt. n. eiusmodi ut magis opus habeant medicis
quam geometris. Est enim manifestum insaniæ ge-
nus aspernari motuum cognitionem, quæ habet cru-
ditissimas & firmissimas rationes, ut maxime alte-
ram illam partem diuinatriæ omittamus. Quan-
quam mibi neq; picus neq; quisquam aliis persua-
serit sidera nullos habere effectus in elementis, &
in animantium corporib. Præterea nullas significa-
tiones in hac inferiore natura. Nam experientia
ostendit ardētiū stellarū congressus urere hæc cor-
pora & siccitate, afferre, rursus etiam congressus
humentium syderum augere humores. Deinde ua-
rie mixta lumina uarie, temperatæ qualitates, ut
in pharmacis res dissimilimæ aliter temperatæ alios
habent effectus. Ideoq; recte dixisse Aristotelem iu-
dico*

dico cum ait hunc inferiorem mundum a superiori
gubernari et superiora causam motus inferiori
bus corporib. esse et addit rationem prudentissime
cogitatam. Cum initium motus sit a cœlo ,consequi
motum cœli et reliquis causam motus esse. Hæc
.n. sunt ciuius uerba que ascribemus ut meminrint
adolcscentes, tanquam oraculum ἐσι δέ εγ αναγνωστής
συμεχήσ τῶσ οὐτοσ ταῖσ αρθεμ φοραισ
ῶσε τασταρ ἀντου Τηρ δύναμιμ κυβερναοδαι
εκφθεμ οθεμ γάρ η Τησ κινησεωσ ἀρχή πασιρ,
εκφυνατιαρ νομισέομ πρώΤηρ. Sicut .n. in his
nostris corporibus uita seu primus motus qui in cor-
de existit ciet motum in alijs membris, ita cū baud
dubie motus cœli primus fit reliqua corpora inci-
tat, ut suos quosdam motus efficiant. Neq; uero quis
quam recte institutus in philosophia aliter sensit
unquam. Nam et medici qui solent in materia po-
tius, quam in cœlo rerum causas querere , tamen
multa referunt ad sydcrum constitutiones sicut
ostendit libellus qui Hippocrati ascribitur, de aere,
aquis et locis. Atq; hæc non dissentunt a christia-
na doctrina, quæ et si doæt nos omnia diuinitus gu-
bernari , tamen non iollit naturæ actiones ac si-
gnificationes rerum sicut in aliendis corporib. ap-
paret, quibus et si uitam ac motum deus impertit, ta-
men ea foueri, ac pasci cibo, potu et alijs rebus ad
vitam tuendam conditis iubet. Ac prudentia digna

E p christiano

christiano est dijudicare quæ sint communes actiones dei & naturæ, quæ autem sint proprie supra naturam positæ, Et ut de homine proprie dicamus, sæpe mihi cogitanti tria uidentur genera actionum in homines cadere. Notissimum est, quod a natura hominis proficiscitur, sensu ac ratione. Ad id pertinent inclinationes quæ sequuntur temperamenta qualitatum. Videmus enim dissimilitudines ingeniorum infinitas, quæ profecto pariunt dissimiles actiones quemadmodum Poeta uere significauit, cum inquit. Naturæ sequitur semina quisq; suæ. Quid enim tam receptum apud medicos est, quam Tex̄nθn κοιτά τὰ ωαθη corporum dispositionem imitari. Idq; res loquitur ipsa ηθη in homine bilioſo existere nulla posse, sed excitari in eo immoderatos impetus, quasi uentos, magna et uehementia ωαθη, quæ difficillime possit ratio regere aut flectere. Si quis autem considerabit diuersas regionum naturas, & diuersarum gentium ingenia, quam aliam causam huius dissimilitudinis ostendere poterit, quam cœli naturam. Vnde facile iudicari potest in miscendis temperamentis corporum atq; ingeniorum inter alias casas etiam luminis naturam concurrere. Neq; ego nihil educationem, consuetudinem, institutionem, leges atq; consilia in regendis inclinationibus istis profiære iudico, sed haec quoq; pono in hoc genere actionum, quod a natura proficiscitur. Alterum genus est actionum quæ supradaturam

turam existunt in homine diuinitus. Hoc est enim
christianæ mentis , intelligere ac sentire diuinitus
homines custodiri atq; gubernari, Etsi autem ita gu-
bernat deus, ut naturæ suas partes etiam aliquo mo-
do relinquat, tamen multa corrigit in natura, &
multarum rerum euentus conædit alios quam qua-
les proponit natura. Neq;. n. Moises beneficio astro-
rum seruatus est, cum euaderet uia per mare pate-
facta, Neq; Petrus cum per angelum e carcere edu-
ceretur, siderum beneficio liberatus est. Neq; Paulus
ex hoste Euangelijs , potestate astrorum pius
factus est. Taliū operum causam proprie ad de-
um referendam esse, nemo non intelligit. Sicut igi-
tur naturæ uires in alijs partibus catenus recipi-
mus, ne regnum Christi tollant, ita suas uires lumi-
ni catenus tribucmus, ne quid de gloria Christi detra-
hatur, cui cum omnia subiecta sint, iure etiam senti-
endum est stellarum uires ci parcre oportere. Ac bo-
næ mentes hac sententia erigere se atq; confirmare
debent aduersus tristis significationes, quæ non ra-
ro mirabiliter animos in tanta naturæ humanae im-
becillitate perturbant. Atq; ut alias uerbum dei an-
teferre nostris opinionib. debemus, ita aduersus has
significationes animi uerbo dei ac promissionib. diui-
nis confirmandi sunt. Idq; uulgata sententia doct
quæ citatur ex Ieremia . Nolite timere a signis
cœli, quæ timent gentes. Neq;. n. negat propheta
signa

signa esse, sed cum signa nominet sentit ea res ma-
gnas atq; tristes minari. Consolatur autem pios , ne
ea metuant, non quia nihil significant, sed ut confi-
dant se diuinitus inter illa pericula tegi, ac seruari.
Sicut mortem timere Christus prohibet , non quia
mors non sit aspera, sed ut sciamus etiam in morte
ipsum adesse Christum, ut nos seruet. Erigenda igitur
mens est supra uniuersam hanc corporalem na-
turam uel si fractus illabatur orbis, nec paciendum
ut uerbum dei , et fiducia erga dcm nobis excuci-
atur, qua sicut muniuntur piæ mentes aduersus præ-
sentia pericula, ita muniendæ crunt etiam aduersus
inimicas astrorum significatiōnes, Sicut igitur aliæ
partes physiæs non lcdunt religionem Christianam,
ita neq; astrologia, nam hanc quoq; partem physi-
æs esse sentimus, officit pietati , si quis in loco uta-
tur. Ac præter hæc duo actionum genera quæ re-
censui, reliquum est tertium genus actionum, ad
quas suscipiendas animi contra naturam a diabolo
magno motu impelluntur. Neq; enim aut astris, aut
alijs naturalib. causis, sed diabolo recte tribuen-
tur Neronis et similiūm tyrannorum prodigiose
libidines atq; parricidia. Itaq; cum humani animi
non uno tantum genere causæ moueantur, consequi-
tur leges fatorum uarijs modis impediri , in-
terdum afflatu diuino, interdum institutione, inter-
dum delibcratione , interdum ctiam in deterius
ficti

flecti a diabolo. Praeclare igitur inquit Ptolemeus
astrologorum decreta non esse præatoria. Nam præ
toris edicta populum parere cogunt. Illæ uero signi
ficationes non afferunt uim hominib. et si non ubi=
q; sunt ociosæ. Atq; harum rerum exempla suppe=
ditant historiæ. Sed hæc disputatio longior est quam
ut hic expliari tota possit. Hæc. n. ideo commemo=
raui ne adolescentes in totum damnent hunc cho=
rum artium, propterea quod imperiti quidam irri=
dent diuinationes. Nam illa doctrina de motibus co=
gnitionem habet suauissimam & homine dignissi=
mam. Et si quis adhibebit iudiciū intelliget alteram
partem artis diuinatriæ uideliæt, perinde esse
partem physiæs, sicut medicorum predictiones
pars quædam physices esse existimantur. Neq;. n.
illa pulcherrima corpora syderum frustra conditæ
esse sentiendum est. Præsertim cum ille ordo atq;
cursus summa ratione constet, adeo ut quædant
quasi politia in cœlo, uelut in poemate depicta esse
uideatur. Sol enim qui regnare uidetur, in medio or
be uechitur, stipatus senatoribus, bellatore, atq; ora=
tore, habet & oeconomas lunam & uenerem. Nā
hæ præcipue dominantur in ciēdis humoribus,
quib. aluntur corpora. Cum autem & hic admirabilis
ordo ac positus, deinde certissimæ leges
cursus testentur hoc opificium summa ratione
constare, non est consentaneum astra nullas signi=
ficationes

flationes nullos effectus habere. Neq; uero fru-
stra dicunt sacræ literæ, erunt in signa tempora, et
dics et annos. Hic non solum inquit annos, dierum
et noctium vias, discrimina temporum uidelicet
æstatis atq; hyemis ab astris confici, sed addit eti-
am de signis. Idq; interpretatur consensus omnium
sæculorum quo compertū est eclipses semper habu-
isse tristes euentus. Non est autem hominis bene in-
stituti, dissentire a consensu tot sæculorum. Hæc for-
tasse longius quam oportuit in hunc libellum præ-
fatus sum, sed uolui commoncære adolescentes
in ipso uestibulo harum artium, ut de hoc toto cho-
ro artium honorificentius sentiant. Scripsi autem
ad te, Grynee doctissime, non quod hac oratione te
arbitrarer accendendum esse, qui in uniuersa philo-
sophia sic exællis, ut quem tibi conferam ex nostris
hominibus, habeam neminem, Sed harum artium
mentio semper memoriam mibi tui renouat, cuius
rei testem habes uirum optimum Iacobum Milichi-
um, qui quoniam has artes hic docet, multum de
eis mecum confabulatur, quo in sermone sepcunme
ro incidimus in tui mentionem. Nemo itaq; fuit
ad quem potius de his artibus scriberem, quam ad te
ut intelligeres nos cum ipsis recordationem tuæ a-
amicicæ coniungere. Quanquam extant et publica
quædam monumenta tua, quæ nos de tuis uirtutib.
atq; pulcherrimis studijs admonent. Habemus enim

Aristote-

Aristotelem tuo beneficio emendatiorem ac nitidorem quem scis me ualde mirari, amare atque colere. Sed nunc magis amo, postquam habeo inuestibulo operum eius nomen hominis amicissimi ascriptum. Utinam uero mihi contingat aliquando ocium ad hunc autorem illustrandum atq; ornandum, quemadmodum tu instituisti magna cum laude facere. Accipio. n. te libros aliquot longe fœlicius enarrasse, quam solebant isti qui paulo ante hanc ætatem non natuam Aristotelis faciem, sed uix exiguum umbram nobis ostendebant, nec tradebant philosophiam hoc est sapienter dicendi et iudicandi scientiam, sed hanc oppresſcrant ociosis et inanib. argutijs, quæ nihil ad iudicandum de ci uilib. aut alijs magnis rebus proderant
Sed haec ali=as, Be
ne Valc.

Vitebergæ. Mense Augusto. Anno
M. D. XXXI.

Impressum Vitebergæ per Iosephum
Clug. Anno M. D. XXXI.



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

digitalisiert von:	278254780	
"	278255922	angeb. 1
"	278266687	" 3

SLUB DRESDEN



3 1712882

G.A 3341

